PROLEGOMENA
AD
DEMOSTHENEM,
SIVE
DE VITA ET ORATIONIBUS DEMOSTHENIS LIBELLUS.

IN USUM IUVENTUTIS
GRAECARUM LITTERARUM STUDIOSAE

SCRIPSIT

ERNESTUS SCHAUMANN.

PRIMISLAVIAE,
IN BIBLIOPOLIO RAGOCZIANO,
MDCCCXXIX.

Præfatio.

Auctorum antiquitatis illustrium et classicorum vitae, usui studiosae juventutis aptae, quarum fasciculum primum ante hos quatuor annos edidi, quum Viris doctis non plane displicerent, historiae Graecorum litterariae operam meam qualemcunque navare perrexi. Prae ceteris autem ad vitam Demosthenis conscribendam accessi, propterea quod evocatus a redemtore honestissimo Oratoris Paeaniensis, abhinc annis amplius decem mihi vehementer cari, interpretationem vernaculam*) aggressus sum. In componendo hoc libello — quod grata mente profiteor — diligenter usus sum et veterum scriptorum, Plutarchi imprimis (vit. Demosth.), Pseudo-Luciani (Δημοσθένους ἐγκώμιον), Dionysii Halicarnassensis (περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος et epp. ad Ammaeum), Diodori Siculi (hist. l. XVI ss.), Justini (hist. l. VIII ss.) Nostrique ipsius, et recentiorum operibus, Barthelemii praesertim (cf. Reise des jungen Anacharsis durch Griechenland. Aus dem Franzoesischen. Berolin. 1789 ss. 7 voll.), A. G. Beckeri („Demosthenes als Staatsmann und Redner. Hal.

*) Timide me ad hanc Demosthenis interpretationem vernaculam edendam accedere profiteor, et quamvis orationum complurium interpretatio jam absoluta sit, eam tamen non edam, nisi iterum ac saepius recognitam atque emendatam.

1815. 2 voll." et: „Des Demosthenes philippische Reden. Uebersetzt, erläutert und mit einigen Abhh. begl. Ed. 2da. Hal. 1824 et 1826. 2 voll."), A. Boeckhii („Die Staatshaushaltung der Athener. Berol. 1817. 2 voll. et alia ejusdem scripta in actt. Acad. Berolinensis"), Heerenii („ Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt" T. III, p. 1. Gotting. 1821, ed. 2., et „Handbuch der Geschichte der Staaten des Alterthums" Gott. 1817. ed. 3.), Jacobsii („Demosthenes Staatsreden; Lips. 1805"), Rüdigeri („Dissertatio de canone Philippicarum; Frib. 1820." et sel. orat. Dem. Lips. 1818), Schaeferi („Apparatus criticus et exegeticus ad Demosthenem cet." Lond. 1824 ss. 5 voll.), Schoellii („Geschichte der griechischen Litteratur rel.," interpr. Schwarz. Berol. 1828), Voemelii*) (proluss. Gymn. Francofurt. vern. 1826, vern. et auct. 1827, auct. 1828) Aliorumque libris historiam Graecorum, imprimis litterariam, et Demosthenica tractantibus.

Scrib. Budingae, Prid. Kal. Jan. MDCCCXXIX.

---

*) Praeclaram doctissimi Voemelii Philippicarum V editionem (Francof. ap. Broenner. 1829) hac commentatione jam scripta preloque typographi tradita typis vulgatam esse doleo. Sed quum menda in typis exscribendis commissa emendarem, ex hoc utilissimo libro passim nonnihil addidi.

I. DEMOSTHENES[1]), Demosthenis filius, Paeaniensis[2]). Pater ejus, vir et honestus et locuples[3]), armorum officinam[4]) exercuit; mater Cleobule Gylonis cujusdam filia fuit, proditionis caussa Athenis pulsi[5]). Jam puer[6]) illum amisit, a

---

1) Natus est, teste Dionysio Halicarn. in ep. ad Ammaeum cap. 4, p. 724, Olymp. XCIX, 4; a. Ch. 381; U. C. 373. Sed haec sententia de anno natali Oratoris a vero aberrat; referendus enim est ad Ol. XCVIII, 4; a. Ch. 385; U. C. 369; cf. scriptorem de vit. X oratt. Plut. T. II, p. 845 D.; Wolf. ad Lept. p. LXII; Weisk. de hyperb. III, p. 14; Rüdiger. de canone Philippicarum, p. 9; A. G. Beckeri Demosth. vit. p. 7.; Boeckh. chronol. Mid. in act. Acad. Berol. 1818, p. 77. etc. Demosthenis nomen populi robur significat.

2) Pagus Paeaniensis erat Pandionidis tribus.

3) Theopompo teste; v. Plut. Demosth. c. 4. —

4) Demosthenis patrem cultellos venditasse omnium paene doctorum litterae loquuntur; cf. Valer. Max. l. IV, c. 3. Pseudo-Lucianus (c. 11) trierarchum Demosthenis patrem fuisse narrat, de quorum munere vid. cap. XXII, n. 17.

5) Ita Aeschines in or. adv. Ctesiphontem p. 561. Reisk.: *Γύλων ἦν ἐκ Κεραμέων. οὗτος προδοὺς τοῖς πολεμίοις Νύμφαιον τὸ ἐν Πόντῳ, τότε τῆς πόλεως ἐχούσης τὸ χωρίον τοῦτο, φυγὰς ἀπ᾽ εἰσαγγελίας ἐκ τῆς πόλεως ἐγένετο, θανάτου καταγνωσθέντος αὐτοῦ, τὴν κρίσιν οὐχ ὑπομείνας, καὶ ἀφικνεῖται εἰς Βόσπορον κτλ.* Plut. vero addit (Dem. c. 4.): *ἃ δ᾽ Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ εἴρηκε, οὐκ ἔχομεν εἰπεῖν, εἴτ᾽ ἀληθῶς εἴρηκεν, εἴτε βλασφημῶν καὶ καταψευδόμενος.*

6) Septem annos natus. Cf. or. c. Aphob. I, p.

adolescentis animum ita incendit, ut Callistratum sectari summamque eloquentiae operam dare statueret[6]).

III. Neglectis igitur ceterarum artium studiis eloquentiae totum se dedidit, cujus admirabili cupiditate flagrabat. Isaeo[1]) magistro dicendi usus esse et Platonem[2]) audivisse dicitur[3]).

---

6) Post, quum jam eloquentiae laude summa floreret Demosthenes — Ulpianus narrat in Dem. c. Timocr. p. 238 Bas. — interrogatus: Uter esset melior orator, ipsene an Callistratus? Ἐγὼ μὲν, respondit, γραφόμενος, Καλλίστρατος δὲ ἀκουόμενος.

III. 1) Isaeus, orator celeber Atheniensis, in Euboea insula (Chalcide) natus esse dicitur; cf. Plut. moral. T. VI, p. 600. Isocratis discipulus, Lysianae eloquentiae aemulus, summorum philosophorum familiaris fuit. — Isocrates quoque scholam rhetoricam Athenis habuit, sed hoc praeceptore Dem. usus non est „εἴτε, Plut. inquit Dem. c. 5., τὸν ὡρισμένον μισθὸν Ἰσοκράτει τελέσαι μὴ δυνάμενος, τὰς δέκα μνᾶς, διὰ τὴν ὀρφανίαν, εἴτε μᾶλλον τοῦ Ἰσαίου τὸν λόγον, ὡς δραστήριον καὶ πανοῦργον, ἐπὶ τὴν χρείαν ἀποδεχόμενος.“ Cf. Becker. Dem. p. 154 ss. Dionys. Hal. de Isaeo et Isocrat. judicium. Heeren. id. p. 414 s. ed. 2ae.

2) Platonem assidue audivit et lectitavit studiosissime. Neque Academiae solum operam dedit et a summo isto magistro ornate splendideque loqui didicit, verum Thucydidis eo usque studiosus, ut eum octies sua manu descripsisse perhiberetur, et, absumtis incendio quodam cunctis exemplaribus, eas historias memoriter redintegrassé. Hunc etiam haud raro imitatur; vid. Olynth. I, p. 9, §. 1; §. 2; II, p. 21, §. 13; p. 23, §. 20 rel. Cf. Apparat. crit. et exeget. in Dem. ed. Schaefer. T. I, p. 90. Niebuhr. opuscc. Vol. I, p. 480 ss.

3) Sed et aliis praeceptoribus eorumque libris usus est, ut Isocratis, Alcidamantis, Zoili, Polycratis,

Quorum institutis atque praeceptis eruditus in concionem ascendere ausus est, ut ad populum orationem diligentissime factam politamque ediceret. Quae vero quum populari assensioni accommodata[4]) non esset, fremitu auditorum media interrupta est.

IV. Gravissimo dolore afflictus domum rediit; Eunomus vero Triasius, jam senior, et Satyrus[1]) histrio perditum recrearunt, docentes, apta tantum pronunciatione orationes auditorum animos invadere, aures permulcere[2]). Industria itaque fere incredibili et continua exercitatione naturae impedimenta superare[3]) conatus est. Nec

4) Eloquentiae ornamenta, quae in pronunciatione apta et convenienti motu corporis consistunt, deerant. Postea, ab Andronico histrione interrogatus, quid in rhetorica primum esse existimaret, pronunciationem dixit, et secundo et tertio idem respondit, quoad desiit ille interrogare; cf. App. I, p. 19. Cicero etiam (de or. I, 64): Is orator erit mea sententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quaecunque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.

VI. 1) Amicus Demosthenis fuit. Cf. et Dem. de f. leg. p. 401 R.

2) Cf. Plut. Dem. c. 7.

3) Cic. de orat. I, 61: In Demosthene tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superaret, quumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. Conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronunciare consuescebat; neque is consistens in uno loco, sed inambulans, atque adscensu ingrediens arduo. — Quinctilian. X, 3. 30: In litore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, medi-

frustra. Eminuit enim unus ille inter omnes in omni genere dicendi, ipsoque M. Tullio auctore summa ei vis dicendi facile conceditur.

V. Octo deinde annos privatorum tantum temporibus transmisit, perpetuaque exercitatione tantam sibi ad agendum facultatem, tantam legum et juris peritiam comparavit, ut (Ol. CVI, 2; a. Chr. 355; annum aetatis agens 30) gravissimis temporibus post exortum bellum Phocense Callistrato Archonte ad rempublicam gerendam[1])

---

tans consuescebat concionum fremitus non expavescere. — Val. Max. VIII, 7. ext. 1: Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, a labore mutuatus est. Proeliatus cum rerum natura victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. — Plut. Dem. c. 7 extr.: Ἐκ τούτου κατάγειον μὲν οἰκοδομῆσαι μελετητήριον· ἐνταῦθα δὲ πάντως μὲν ἑκάστης ἡμέρας προσιόντα πλάττειν τὴν ὑπόκρισιν καὶ διαπονεῖν τὴν φωνήν. πολλάκις δὲ καὶ μῆνας ἑξῆς δύο καὶ τρεῖς συνάπτειν, ξυρούμενον τῆς κεφαλῆς θάτερον μερός κ. τ. λ. Subterraneae illius cellae locum (φανάριον Δημοσθένους) peregrinantibus Athenis ostendebant; sed Lysicratis, opinor, choragium est; cf. Braunii Wanderung durch das alte Athen p. 109 s. — Lib. vit. Dem.: Παρειλήφαμεν δὲ κἀκεῖνο, ὡς καὶ ξίφος ποτὲ ἐκ τῆς ὀροφῆς ἀπήρτησε, καὶ ἱστάμενος ὑπὸ τοῦτου ἔλεγεν· ἐποίει δὲ τοῦτο δι' αἰτίαν τοιαύτην ἐν τῷ λέγειν ἀπρεπῶς τὸν ὦμον εἰώθει κινεῖν.

V. 1) Primae Oratoris actiones publicae fuerunt orationes judiciales de legibus ab Androtione et a Leptine latis; cf. infr. c. XXI, nr. 18. 19. Quae illum tractum temporis notabilem fecerint, optime collegit F. A. Wolfius in Prolegg. in or. Leptin. p. LVII s. n. 31: „Proelium apud Leuctra factum Olymp.

accederet, orationibus suis celeberrimis et in rep. Attica legibus repugnantia oppugnaturus et,

---

CII, 2 (a. Chr. 371, Demosthene aetatis annum agente 14). Ea prima caussa fuit odii Atheniensium in Thebanos, inflammati deinde horum superbia et imperandi libidine. Vid. Dem. de cor. p. 475 C. ed. Francof. Mox Megalopolis in Arcadia conditur et Messenii, auctoribus Thebanis, in Peloponnesum redeunt Ol. CII, 3 (a. Chr. 370, D. 15). Jam Thebani tum bellum in Thessalia gerentes deseri coepti sunt a sociis gravate ferentibus illorum dominationem; Athenienses autem contra Thebanos cum Lacedaemoniis societatem et foedus faciunt, quo imprimis imperium maris recuperant Ol. CII, 4 (a. Chr. 369, D. 16). Dein Ol. CIII, 2 (a. Chr. 367, D. 18) Thebani auxilium Persarum expetentes ad potentiam suam augendam ad Artaxerxem legatos mittunt, Pelopidam et Ismeniam. Olymp. CIII. 3 (a. Chr. 366, D. 19) occupatur a Thebanis Oropus, oppidum in confinio Atticae et Boeotiae situm, cf. supra cap. II. Olymp. CIV, 2 (a. Chr. 363, D. 22) pugna fit ad Mantineam, qua penitus concidunt Spartanae vires, nec ipsi tamen multum juvantur Thebani, praesertim orbati consiliorum suorum omnium principibus, Pelopida et Epaminonda. Ex adversa fortuna utriusque populi jam vires colligit resp. Attica, validior etiam novis copiis navalibus receptaque multitudine sociorum tributa pendentium. Ac sane resp. ad pristinam magnitudinem rediisset magnorum quorundam civium adjuta consiliis, si non duos insidiatores peraeque infestos aluisset, morum publicam pravitatem et Philippum Macedonem. Hic, regno Olymp. CIV, 4 (a. Chr. 361, D. 24) occupato primum artes suas callide tegere, amicitiam quoque cum Atheniensibus pangere, Ol. CV, 2 (a. Chr. 359, D. 26). Idem tamen paulo post amicis Pydnam et Potidaeam eripit Ol. CV, 3, aliaque in Graecorum libertatem machinatur. Interea socii, novo jugo Atheniensium nimium pressi, Chii, Rhodii, Coi et Byzantii, bellum movent (τὸν συμμαχικὸν πόλεμον) quod grave inprimis exstitit vectigalibus reipublicae. Ducitur illud per tres fere annos, neque pax insecuta Ol. CVI, 1 (a. Chr.

Macedones, toti Graeciae imminentes, depulsurus[2]).

VI. Philippus enim, rex Macedonum, homo callidus, promtus in rebus gerendis, belli[1]) peritissimus, gloriaeque et potentiae immensa cupiditate incensus, ut imperio potitus est, civitatum Graecarum libertati insidiatus opprimere eas studuit. Firmatis igitur militum suorum animis[2]) primum Athenienses adortus, post

---

356, D. 29) opes statim reddidit. Hinc proximis annis querelae de afflicta conditione rerum Atticarum. Et tantum quod profligatum bellum sociale erat, quum aliud exarsit, quod sacrum vocant, omni Graeciae funestissimum, quanquam ejus calamitates Attica minus sensit. Sub hujus belli initia Demosthenes ad remp. accessit." Cf. Heeren. hist. civ. ant. p. 255, ss. ed. 3ae.

2) Dem. or. p. cor. p. 230 extr. Plut. cap. 12. Dionys. Hal. ep. ad Amm. c. 4. A. G. Beckeri Dem. p. 27 ss. Wolf. ad Lept. p. LXI. Concionalem primam habuit proximo anno Diotimo Archonte de symmoriis.

VI. 1) Praeceptis Epaminondae Thebani, victoris ad Leuctra (Ol. CII, 2. cf. Xenoph. Hellen. VII, c. 4. 6, et Mitfordii hist. gr. Eichstadio interpr. T. VI, p. 360 ss. Rotteck. hist. univ. II, cap. 2, §. 24.) et ad Mantineam (Ol. CIV, 2. Xen. Hell. VII, c. 5; Diodor. XV; Mitford. l. c. Rotteck. l. c. §. 25), ducis clarissimi et fortis (Diod. l. c.; Cic. finn. II, 30; Corn. Nep. Epam.; Justin. VI, 4. 8) ad scientiam belli eruditus est, cum Thebis triennio obses haberetur (Justin. VII, 5; Diod. XVI, 2.). Majorum suorum maximus fuit. *Φίλιππον βασιλέων μὲν τῶν πρὸ αὐτοῦ, καὶ ὅσοι Μακεδόσι γεγόνασιν ὕστερον, τούτων μὲν μάλιστα ἔργα αὐτὸν ἐπιδείξασθαι.* Pausan. VIII, 7.

2) Ducum clarissimorum exemplum sequutus. Cf. etiam Cic. Tuscc. II, c. 16: Quid exercitatio legionum, quid ille cursus, concursus, clamor quanti laboris est! Ex hoc ille animus in proeliis paratus ad vulnera! Adduc pari animo inexercitatum militem;

Illyrios[3]), hinc Thessalos[4]), ubique bene pugnavit, hostes terruit, regni incrementa[5]) acquisivit; Graeciae autem civitates, dum imperare singulae cupiunt, libertatem contra istum defendere non potuerunt.

VII. Bellum contra Phocenses[1]) calamito-

---

mulier videbitur. Cur? Tantum interest inter novum et veterem exercitum, quantum experti sumus. Aetas tironum plerumque melior, sed ferre laborem, contemnere vulnus consuetudo docet etc.

3) Amphipolis Chalcidica, quam urbem Strymonis fluvii brachia utrimque incluserunt, jam antiquis temporibus culta erat. Athenienses quoque in hanc oram colonias deduxerunt. Qui coloni, Macedonibus faventes, his urbem tradiderant; quum vero Philippus ab hostibus premeretur multisque laboraret difficultatibus regni obtinendi, Athenienses ad pacem secum ineundam hoc permovit, quod nihil sibi amplius juris in Amphipolim vindicabat. Auctis vero opibus hostibusque reliquis devictis, Ol. CV, 3, Amphipolim aggressus est, et vi ac proditione expugnavit. Hinc ortum bellum de Amphipoli recuperanda. Cf. Voemel. prol. vern. 1826: Lineamenta belli Amphipolitani a Philippo II cum Atheniensibus gesti.

4) Equites Thessalos exercitui suo robur addere desideravit.

5) v. c. Pydnam (postea Citrum) per proditores recepit (Diod. XIII, 49. XVI, 8. Dem. Olynth. I, p. 10 R.); Potidaeam, Thraciae urbem et Corinthiorum coloniam Ol. CV, 3 subegit; Crenides Thasiorum in Pangaeo monte occupavit, unde plus quam M talenta annuum reditum recepit. Ex his aurofodinis maximas coacervavit divitias. Cf. Rotteck. hist. univers. II, 121 ed. 5tae. Heeren. hist. civitt. antiq. p. 269 ss. ed. 3ae.

VII. 1) Hoc bellum sacrum, incensum Ol. CVI, 2. a. Chr. 355. a Philomelo, Phocensium duce (cf. Diod. Sic. bibl. hist. XVI, c. 23: Φιλόμηλος ὁ Φωκεὺς, ἀνὴρ θράσει καὶ παρανομίᾳ διαφέρων, κατε-

sum et pestiferum contentiones civitatum aluit, jam ante mutua inter se invidia flagrantium. Phocenses, quibus Lacedaemonii et Athenienses auxilia[2]) tulerant, bene pugnarunt contra Thebanos, quos Locri, Thessali[3]), Dolopes, Achaei, Dorienses, alii[4]) adjuverunt. Victi autem Philippum belli ducem, vindicem sacrilegii elege-

λάβετο μὲν τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν, ἐξέκαυσε δὲ τὸν ἱερὸν πόλεμον) per decem annos gestum, Ol. CVIII, 3, a. Chr. 346. finitum est. Cf. etiam Justin. VIII, c, 1 ss. Magni vero constitit bellum Phocense: Decem millia talentorum ex vasis et signis sacris cussa in hoc bellum Phocc. impenderunt, Lacedaemonii Philomelo XV tall. dederant, qui totidem de suo adjecit, Diod. XVI, 24.

2) Sed exercitus eorum tanta fortitudine instructi non fuerunt, quanta olim, Persis advenientibus, cum Miltiade, Leonida, Themistocle dubibus, pro aris focisque fortissime pugnarent. Illis temporibus civis quisque miles fuit, etiam μέτοικοι militia functi, et, necessitate urgente, servi quoque armati sunt. Nunc vero cives ipsi militiam propter pericula detrectarunt, copiis mercede conductis usi. Bello quidem Corinthio, Ol. XCVI, 4., duce Iphicrate (cf. Corn. Nep. Iphicr. II) prospero successu pugnarunt; neque vero omnis imperator talem exercitum continere potuit (v. Demosth. 1 Phil. p. 46 R., de cor. trierarch. p. 1238). Duces etiam, virtutibus imperatoriis (de quibus Cic. in orr. pro Manil. lege et pro M. Marcello) conspicui, deerant, quales fuerant Chabrias, Iphicrates, Timotheus, alii. Chares aut Charidemus bellis praeficiebantur, rebus gestis praeclaris haud insignes. Cf. Boeckh. l. c. I, p. 315.

3) Hi, quorum perfidia in proverbium abiit (ἀεὶ τὰ Θετταλῶν ἄπιστα, cf. Lucchesin. p. 313), Phocensibus acriter infensi fuerunt.

4) Diod. Sic. XVI, c. 29.

runt, qui, exercitu longe majori hostibus superveniens, superior discessit[5]), hac victoria reportata totam Graeciam sibi subjicere paratus. Sed Athenienses, imminente periculo permoti, celerrime angustias Thermopylarum occupavere[6]), et Philippus, cujus hac re disjecta erant consilia, in Macedoniam reversus est.

VIII. Illo tempore Demosthenes primam orationem Philippicam[1]) habuit civibusque suis suasit, ut fortius istum impugnarent. Frustra. Po-

---

5) Onomarchus Phocensis bis proelio Macedones vicerat; Philippus autem, cum recenti agmine reversus, Lyoophronem et Onomarchum acerrima pugna superavit, Ol. CVII, 1. Cf. Voemel. l. c. p. 27. Diod, XVI, c. 35. Rotteck. hist. univ. II, 123, ed. 5.

6) Laudabile factum! v. Dem. de f. leg. p. 367 R., pro cor. p. 236 R. Diodor. XVI, c. 38. Justinus autem, propterea quod templorum raptores defenderant, Athenienses reprehendit; cf. VIII, c. 2, §. 8 ss.

VIII. 1) cf. c. XX, 1. Demosthenes, bene intelligens, Philippi potentiam non *pro* Graecia, sed *adversus* eam augeri, cives suos inde ab eo tempore semper contra hostem istum excitavit, et potentissimo regi fortiter se opposuit. Ipse in or. pro cor. p. 305, s.: *Τὰ δὲ τοῦ Φιλίππου, πρὸς ὃν ἦν ἡμῖν ὁ ἀγών, σκέψασθε πῶς. Πρῶτον μὲν ἦρχε τῶν ἀκολουθούντων, αὐτὸς αὐτοκράτωρ ὤν, ὃ τῶν εἰς τὸν πόλεμον μέγιστόν ἐστιν ἁπάντων. Ἔπειτα χρημάτων εὐπόρει καὶ ἔπραττεν, ἃ δόξειεν αὐτῷ, οὐ προλέγων ἐν τοῖς ψηφίσμασιν, οὐδ' ὑπὸ τῶν συκοφαντούντων κρινόμενος, οὐδὲ γραφὰς φεύγων παρανόμων, οὐδ' ὑπεύθυνος ὢν οὐδενί, ἀλλ' ἁπλῶς αὐτὸς δεσπότης, ἡγεμών, κύριος πάντων ὤν. Ἐγὼ δ' ὁ πρὸς τοῦτον ἀντιτεταγμένος, τίνος κύριος ἦν; Οὐδενός. Αὐτὸ γὰρ τὸ δημηγορεῖν πρῶτον, οὗ μόνου μετεῖχον ἐγώ,*

pulus iners pacisque amantissimus[2]) Oratoris[3]) consilia sprevit. Philippus interea in otio non consedit, sed, priusquam iterum Graeciam invaderet, finitimos quosdam hostes oppressurus, Cersobleptem, Thraciae regem, adortus est (Ol. CVII, 2.), a quo deinde (Ol. CVII, 3. 4.) adversus Olynthios arma vertit.

IX. Olynthus[1]), urbs antiqua et potens, ad sinum Toronaeum sita, et LX fere stadia a Po-

---

ἐξίσου προὐτίθετε ὑμεῖς τοῖς παρ' ἐκείνου μισθαρνοῦσι καὶ ἐμοὶ κ. τ. λ.

2) Athenienses militiam detrectabant; vid. Liban. argum. Olynth. I, §. 3; *Διείλεκται δὲ ὁ ῥήτωρ καὶ περὶ πολιτικῆς δυνάμεως, ἀξιῶν αὐτοὺς στρατεύεσθαι, καὶ μὴ διὰ ξένων, ὥςπερ εἰώθεσαν ποιεῖσθαι τὴν βοήθειαν. Τοῦτο γὰρ αἴτιον εἶναί φησι τοῦ τὰ πράγματα ἀπόλλυσθαι.* Cf. etiam Isocrat. de pace cap. 16, §. 43. s.: *Ἡμεῖς δ' οὐδ' ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας αὐτῶν πλεονεξίας κινδυνεύειν ἀξιοῦμεν, ἀλλ' ἄρχειν μὲν ἁπάντων ζητοῦμεν, στρατεύεσθαι δ' οὐκ ἐθέλομεν κτλ.* Vid. Jo. Müller. hist. univers. I, p. 157, ed. 3ae.

3) Tanta vi Demosthenes locutus erat, ut ipse damnum pro libera oratione timeret. Cf. Phil. I, p. 55 R. init.: *Ἐβουλόμην δ' ἄν, ὥσπερ ὅ τι ὑμῖν συμφέρει τὰ βέλτιστα ἀκούειν οἶδα, οὕτως εἰδέναι συνοῖσον καὶ τῷ τὰ βέλτιστα εἰπόντι. πολλῷ γὰρ ἂν ἥδιον εἶπον. νῦν δ' ἐπ' ἀδήλοις οὖσι τοῖς ἀπὸ τούτων ἐμαυτῷ γενησομένοις κτλ.*

IX. 1) De Olyntho et bello Olynth. cf. Voemel. prol. vern. 1827. Olynthii, jam antea hostes Macedonibus, plura cum iis bella gesserant. Philippus, urbe Potidaea, ab ipso expugnata illisque sponte tradita, eos in suas partes ducere studuit. Regi vero, tam belli cupido, diffidentes foedus cum Atheniensibus fecerunt (Ol. CVI, 4). Quare iratus rex belli caussam quaesivit, quam, receptis ab Olynthiis fratribus suis, repe-

tidaea remota erat. Receperat per misericordiam duos regis fratres, quos Philippus, ex noverca genitos, veluti participes regni interficere[2]) gestiebat. Hanc ob rem Olynthios aggressus est[3]), qui auxilium ab Atheniensibus petierunt. Oratoribus aliis[4]), a Philippo corruptis et civium inertia odioque in Olynthios adjutis, hoc auxilium dissuadentibus, Demosthenes cives hortatur, sociis praesidium implorantibus satisfacerent, una cum Olynthiis Philippi potentiam frangerent. Auxilio igitur Olynthiis promisso, duo millia mercenariorum[5]) duce[6]) Charete[7]) Olyn-

---

rit. Cf. Demosth. or. interpr. Frid. Jacobs., p. 209., Becker. l. c. p. 47, et vers. T. I. p. 91.

2) Philippus autem, illos de ipso interficiendo conjurasse perhibuit.

3) cf. Diodor. Sic. XVI, c. 53.

4) v. c. Demade; cf. Dionys. Halic. Vol. VI, p. 735.

5) Mercenariorum exercitus primus Iphicrates bello Corinthio sive sociali (Olymp. XCVI, 3.) paraverat, a Charete autem mores eorum depravati erant; vid. n. 7. — Vid. cap. VII. n. 2.

6) Ducum Atheniensium varia genera erant. I. Imperatores (στρατηγοί), quorum deni quotannis, e singulis tribubus singuli, populi suffragiis creabantur. Primis temporibus hi decem una in bellum proficiscebantur, Demosthenis autem aetate saepissime unus tantum mittebatur, reliquis domi remanentibus; vid. Dem. Phil. I, §. 26. II. Taxiarchi decem, qui in bello tribulibus suis, hoplitis, praeerant, ordines instruebant, in proelium ducebant. Et hos, mercenariis tum temporis copiis comparatis, otiosos domi degere Demosthenes (l. c.) queritur. III. Hipparchi bini universo equitatui praeerant. IV. Phylarchi deni, quorum eadem apud equites munera erant, quae Taxiarchorum apud hoplitas.

7) De Charete cf. Barthelem. Anachars. Vol. II,

thum profecta sunt, mox vero re infecta redierunt. Philippus Olynthios a sociis neglectos in duobus proeliis vicit[8]). Iterum[9]) et tertio legati auxilium — non peregrinum, sed civilem exercitum — petentes Athenas venere, et Demosthenes summa eloquentia exercitus civium bene instructos et Olynthum et in Macedoniam mitti jussit[10]); Philippus autem, dum Athenienses[11]) exercitum parant, jam Olynthum, Lasthenis Hipparchi[12]) et Euthycratis, summorum ibi magistratuum, proditione captam diruerat, cives vendiderat, Ol. CVIII, 1.

X. His rebus gestis Athenienses honestam cum Philippo pacem optarunt, et cum rex ipse eandem desiderare[1]) videretur, illi decem lega-

---

p. 499; V, p. 180. A. G. Becker. vers. Dem. I, p. 7. 101; Wachsmuth antiqq. Graec. II, p. 337. Diodor. XV, 95: Χάρης δὲ τοὺς μὲν πολεμίους εὐλαβούμενος, τοὺς δὲ συμμάχους ἀδικῶν διετέλει. ὁ μὲν οὖν Χάρης καὶ ἕτερα τοιαῦτα παρανομῶν ἀγαθὸν μὲν οὐδὲν διεπράξατο, τῇ δὲ πατρίδι διαβολάς.

8) Dem. de f. leg. p. 426 R. — 9) Charidemus, Demosthene jubente, octodecim triremes, cetratorum quatuor millia, centum et quinquaginta equites ducens, Olynthiis auxilio venit; sed, qui praesidio esse debuisset, sociorum bona diripuit; cf. Dionys. Hal. Vol. 6, p. 735. — 10) Oratione Olynth. III. — 11) Dem. de f. leg. p. 426. — 12) Dem. Phil. III, p. 128 R. —

X. 1) Aeschin. de f. leg. p. 196. Et Athenienses et Philippus *petere* pacem turpe duxerunt. Aristodemus igitur et Neoptolemus, Athenienses, tragoediarum actores, in Macedoniam profecti sunt, ut cives Athenienses, a Philippo Olynthi captos, redimendos curarent. His se amicum esse Atheniensium Philippus dixit. Paulo post Ctesiphontem legatum Athenienses miserunt, ut regis animum perscrutaretur. Et

tos[2]), pacem petitum, in Macedoniam misere. Quibus benigne auditis rex et ipse Parmenionem, Antipatrum et Eurylochum Athenas legavit, qui pacem jurejurando ab Atheniensibus firmandam curarent; interea autem iste, cujus cum factis mirabiliter semper pugnavit oratio, Chersonesum[3]) occupat! Nihilominus Athenienses, otii tranquillitate gaudentes, pacem confirmarunt[4]); Philippus nullo negotio Phocenses pror-

---

hunc humaniter accepit, adjiciens, se invitum bellum gerere cum Atheniensibus. His auditis Philocrates jam Ol. CVIII, 1 psephisma rogavit, „ut liceret Philippo, caduceatorem Athenas et legatos mittere de pace et societate,“ et Ol. CVIII, 2 idem decem legatos eligendos esse jussit, qui profecti ad Philippum peterent, ut legatos Athenas mitteret, de pace acturos eamque jurejurando firmaturos; cf. Voemel. prol. auct. 1827 de pace etc.

2) Fuerunt Ctesiphon, Aristodemus, Jatrocles, Cimon, Nausicles, Dercylus, Phryno, Philocrates, Aeschines, Demosthenes.

3) Cersobleptes ibi, socius Atheniensium, jam ante a Philippo vexatus, regnavit. Obsessus in Monte Sacro Thraciae, occupato castello, imperium ita amisit, ut filio obside dato sub Philippi auctoritate regeret. De hac Philippi fraude cf. Dem. de Chers. p. 105; Phil. III, p. 114; de f. leg. p. 390. — 4) Dem. de f. leg. p. 355. 356. Legatos miserunt, qui sine ulla mora a Philippo de foedere jusjurandum exigerent; sed hi (Aeschines, Eubulus, Cephisophon, Democrates, Cleon, Demosthenes et quatuor alii) diu cunctati sunt, in Philippi commodum, in Atheniensium detrimentum, turpesque inierunt conditiones. Mense tertio Athenas redierunt, Demosthenes autem, qui cunctationem illam graviter tulerat, reliquos legatos accusavit, quod, jusjurandum quamprimum exigere jussi, contra manda-

sus superavit[6]), oppida eorum crudelissime[7]) diruit, et a Graecis perculsis[8]) Phocensium locus inter Amphictyones[9]) ei concessus est[10]).

---

tum egissent; cf. c. XXI, n. 29. — 6) cf. c. VII; Justin. l. VIII, c. 5; Diod. XVI, c. 59 ss. Ol CVIII, 3. — 7) Justin l. c. — 8) Ne mireris, et Demosthenem haec jussisse (Dem. de f. leg. p. 446); Athenienses enim copiis longe inferiores erant, nec soli Philippo repugnare poterant, cujus imperio jam reliquae fere omnes Graeciae civitates se subjecerant, eique viam et in Atticam et in Peloponesum invadendi muniverant. — 9) De praecipuo illo apud Graecos rerum omnium judicio (Tacit. Ann. IV, 14) cf. Barthelem. Anachars. T. III, p. 263.; V, 181; VII, 75., Mitford. l. c. I, c. III, §. 3. p. 209 ss.

10) *Προμαντεία* quoque, s. oraculi consulendi praerogativa Atheniensibus a Philippo erepta est. Convocato Amphictyonum concilio Thebani, Thessali, Locrenses, Argivi aliique (exceptis vero Lacedaemoniorum et Atheniensium legatis) convenerunt. Quibus hoc decretum placuit: „Ut Philippus cum posteris suis in concilium Amphictyonicum adsciseretur et duo suffragia haberet, quae prius, ut reliqui undecim Amphictyones, debellati Phocenses habuissent, qui in posterum nec templi conciliique Amphictyonici essent participes, nec equos armaque possiderent, dum pecunias sacrilegio surreptas deo reddidissent. Exules praeterea Phocensium et quotquot in partem sacrilegii venerint, piaculares haberentur, quos ex omni loco retrahere cuivis liceret. Ad haec, id quod omnino factum est contra legem et jusjurandum Amphictyonum, ut, praeter Abas sacrilegii expertes, cunctae Phocensium urbes everterentur et incolae in vicos transferrentur, quorum nullus plures quam quinquaginta domus haberet neve minus praescripto intervallo pagi a se distarent. Phocenses quidem agrum suum retinerent, sed quotannis LX talentorum sive 86860 thal., s. 156349 florenorum vectigal Deo penderent, dum summam tempore sacrilegii in tabulas relatam exsolvissent. Pythicos ludos Philippus cum

XI. Consiliorum suorum audacium et callidorum tenax in Peloponneso etiam civitatum contentiones aluit, et Messeniis, qui cum Spartanis bella gesserunt, auxilio[1]) fuit, ut ipse postremo victos pariter victoresque subire regiam servitutem cogeret. Demosthenes autem, quem ampla Philippi consilia non fugerant, rogavit Athenienses, ut oratores in Peloponnesum mitterent, qui pacem illis civitatibus suaderent et exemplo Olynthiorum aliarumque gentium eas a foedere cum Philippo ineundo deterrerent. Legatis (Ol. CIX, 1; a. Chr. 344) ad hoc munus electis[2]) contigit etiam, ut bellum componerent. Redux in patriam Orator (Ol. CIX, 1) de Philippi sceleribus, clandestinis consiliis et dolis, in Athenas totamque Graeciam subjiciendam machinatis, nec non de patriae proditoribus[3]), quos multos alebat aurum et gratia Philippi (cf. Valcken. or. Phil. p. 241, n. 20; Weisk. de hyperb. I, p. 31 sqq), cum gravitate locu-

---

Phocensium mercenariorumque arma ad rupes allisa confringerent et horum reliquias comburerent. Equi denique venderentur." Praeterea Lacedaemonii Amphictyonia ejecti sunt. Cf. Voemel. de or. de pace §. 11.

XI. 1) Quum Messenii Philippi opem implorassent, ut Lacedaemonii Messenia excederent, postulavit, et pecuniam mercenariosque eis subministravit; cf. Goelleri prolegg. in Dem. oratt. de republ. habitas. Colon. 1823, p. 30 ss., Jacobs. et Becker. verss. — 2) Demostheni ipsi, Polyeucto, Hegesippo, Clitomacho, Lycurgo, cett. — 3) de quibus etiam acerbe Ol. III, p. 36 R. §. 29: *Ἀποβλέψατε δὴ πρὸς τοὺς τὰ τοιαῦτα πολιτευομένους, ὧν οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασιν, οἱ δ' ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι, ἔνιοι δὲ τὰς ἰδίας οἰκίας τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας εἰσὶ κατεσκευασμένοι, ὅσῳ δὲ τὰ τῆς πόλεως*

tus est[4]), et, cum Philippus Halonesum insulam[5]) cepisset, Thraciaeque regem, Cersobleptem[6]), denuo aggressus esset, Demosthenes civium justum et acerbum odium oratione optima[7]) aluit.

XII. Quare Athenienses Euboeam insulam, quam Philippi praesidium occupaverat, Phocione duce[1]), tyrannis[2]), eodemque imperatore forti strenuoque Perinthiis et Byzantiis auxilio venientes, obsidione[3]) eos liberaverunt. Rex

---

ἐλάττω γέγονε, τοσούτῳ τὰ τούτων ηὔξηται; cf. ibi Ulpian.; Isocr. de pace Vol. II. p. 252. §. 124; Aristoph. Plut. vs. 29 s.; Dem. Phil. I, p. 51. — 4) cf. or. Phil. II. —

5) Haec insula in Atheniensium potestate fuerat; cf. c. XX, 9. — 6) v. cap. XX. Tum Diopithes, dux colonorum, quos Athenienses in Chersonesum miserant, Thraces defendit. Laudavit eum Demosthenes in orat. de Chersoneso Ol. CIX, 3; cf. c. XX. — 7) Philipp. III.

XII. 1) cf. Plut. Phocion. T. I. p. 748 A. Idem vit. Phoc. c. 5: *Τῷ δ' ἤθει (Φωκίων) προςηνέστατος ὢν καὶ φιλανθρωπότατος, ἀπὸ τοῦ προσώπου δυςξύμβολος ἐφαίνετο καὶ σκυθρωπός κτλ.* Ib.: *Ὁ Φωκίωνος λόγος πλεῖστον ἐν ἐλαχίστῃ λέξει νοῦν εἶχε.* Id. c. 11: *Οἱ τῶν Ἀθηναίων σύμμαχοι καὶ οἱ νησιῶται τοὺς Ἀθήνηθεν ἀποστόλους, ἑτέρου μὲν ἐκπλέοντος στρατηγοῦ πολεμίους νομίζοντες, ἐφράγνυντο τείχη, καὶ λιμένας ἀπεχώννυσαν, καὶ κατεκόμιζον ἀπὸ τῆς χώρας εἰς τὰς πόλεις βοσκήματα καὶ ἀνδράποδα καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας· εἰ δὲ Φωκίων ἡγοῖτο, πόῤῥω ναυσὶν ἰδίας ἀπαντῶντες ἐστεφανωμένοι, καὶ χαίροντες ὡς αὐτοὺς κατῆγον.*

2) Hanc ob rem Euboei Demosthenem corona aurea ornarunt; cf. Dem. or. p. cor. p. 253 R. —

3) Philippus eos in obsidione tenuit Ol. CIX, 4;

iratus, Scythis[4]) devictis et Amphissiis[5]), bellum diu dissimulatum Atheniensibus intulit, quorum Demosthenes animum confirmavit[6]), et quibus Thebani, ab eodem Oratore[7]) permoti perfidiamque Macedonum metuentes[8]), se junxerunt[9]). Duobus proeliis secundis usi, tandem, licet fortissime pugnantes, ad Chaeroneam Boeotiae, ducibus Charete et Lysicle, Ol. CX, 3; a. Chr. 338, III. Nonas Sextiles, Macedonum belli peritia[10]) fracti sunt[11]). Thebanos Philippus gravissima poena affecit[12]), Atheniensibus autem perturbatis[13]) pepercit[14]), et, qui pacem cum

---

cf. Justin. IX, c. 1; Diod. Sic XVI, c. 74 ss. — 4) cf. Dem. de cor. p. 240 R. Justin. IX, c. 2. — 5) Becker. Dem. p. 84. —

6) cf. decretum Demosthenis in or. p. cor. p. 288.

7) Ol. CX, 3. cf. Diod. Sic. XVI, c. 85. — 8) Justin. IX, c. 3: metuentes, ne, victis Atheniensibus, bellum, veluti vicinum incendium, ad se transiret.

9) Dem. or. p. cor. p. 300.

10) Justin. IX, 3: Proelio commisso cum Athenienses longe majore militum numero praestarent, assiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur. Diodor. Sic. XVI, 86. Barthel. l. c. VII, 83. Rotteck. l. c. II, p. 123.

11) Orator in pugna victus magna cum ignominia fugisse dicitur; cf. Plut. Dem. c. 20, p. 855 A. *Ἐν τῇ μάχῃ καλὸν οὐδέν, οὐδ' ὁμολογούμενον ἔργον, οἷς εἶπεν, ἀποδειξάμενος, ᾤχετο λιπὼν τὴν τάξιν, ἀποδρὰς αἴσχιστα, καὶ τὰ ὅπλα ῥίψας, οὐδὲ τὴν ἐπιγραφὴν της ἀσπίδος, ὡς ἔλεγε Πυθέας, αἰσχυνθείς, ἐπιγεγραμμένης γράμμασι χρυσοῖς· Ἀγαθῇ τύχῃ.*

12) Justin. l. c. c. 4. —

13) Lycurg. or. in Leocratem, p. 50 ss. Osann.

14) Demade oratore admonente; cf. Diod. Sic. XVI, c. 87: *Λέγουσι δὲ τινες ὅτι καὶ παρὰ τὸν πό-*

his jungerent, Alexandrum filium Antipatrumque amicum Athenas misit. Cum plerumque fiat, ut consilia eventis ponderemus, Demosthenes quoque saepius proditionis accusatus est, quod illo auctore Athenienses cum Philippo conflixerant, sed cives eo crimine semper Oratorem absolverunt[15]).

XIII. Corinthum interea Philippus Graecorum omnium legatos[1]) evocaverat, ibique, Persis bellum illaturus, auxilia civitatum singularum descripsit[2]). Dum vero haec auxilia a Graecia coeunt, nuptias Cleopatrae filiae et Alexandri, regis Epiri, Aegis in Macedonia celebrans,

---

τον πολὺν ἐμφορησάμενος ἄκρατον, καὶ μετὰ τῶν φίλων τὸν ἐπινίκιον ἄγων κῶμον, διὰ μέσων τῶν αἰχμαλώτων ἐβάδιζεν, ὑβρίζων διὰ λόγων τὰς τῶν ἀκληρούντων δυστυχίας. Δημάδην δὲ, ἐν τοῖς αἰχμαλώταις ὄντα, χρήσασθαι παῤῥησίᾳ. Φασὶ γὰρ εἰπεῖν αὐτὸν, Βασιλεῦ, τῆς τύχης σοὶ περιθείσης πρόσωπον Ἀγαμέμνονος, αὐτὸς οὐκ αἰσχύνῃ πράττων ἔργα Θερσίτου; — Laetitia nimià elatum fuisse Philippum, etiam Plut. Dem. c. 20, p. 855 A. B. narrat; Justinus autem, victoriae laetitiam callide dissimulatam; l. c. c. 4. — 15) Dem. p. cor. p. 310: Καὶ μετὰ ταῦτα συστάντων, οἷς ἦν ἐπιμελὲς κακῶς ἐμὲ ποιεῖν, καὶ γραφὰς, εὐθύνας, εἰσαγγελίας, πάντα ταῦτα ἐπαγόντων μοι, — ἐν τοίνυν τέτοις πᾶσι, μάλιστα μὲν διὰ τοὺς θεοὺς, δεύτερον δὲ δι' ὑμᾶς ἐσωζόμην. Populi jussu Demosthenes laudationem Atheniensium ad Chaeroneam interfectorum habuit; cf. Plut. Dem. c. 21, p. 855 C., infr. c. XXIV, 59. —

XIII. 1) Lacedaemonii legatos non miserant; cf. Plut. apophth. lacon. T. II, p. 218, et de garrul. p. 511.

2) Diod. Sic. XVI, 89. 91. Justin. IX. c. 5.; 215000 militum Graeciae Philippus imperaverat.

a Pausania[3]), nobili juvene, Philippus interficitur[4]). Caede regis nuntiata, universa Graecia libertatem recuperatam credidit[5]), nec quisquam fuit, qui Alexandrum, Philippi filium, juvenem viginti annorum, metueret. Qui vero, patre bellicoso dignus, cum jam decem et octo annos natus sub militia patris tirocinii rudimenta[6]) deposuisset, Graecis deficientibus statim bellum intulit, quod Athenienses ignavi deprecati sunt. His igitur bellum remisit, Thebanos autem, qui spreta Alexandri pueritia armis utebantur, vicit urbemque eorum diruit[7]). Ab Atheniensibus etiam, qui profugis Thebanis portas aperuerant, postulavit, ut oratores — Demosthenem imprimis et Lycurgum[8]) — ducesque suos sibi dedant, quorum, intercedente Demade[9]), illi quidem retenti, hi vero in exilium pulsi sunt.

XIV. His rebus peractis Alexander, relicto in Macedonia Antipatro[1]), ad bellum Persicum profectus est, copiasque Darii iterum atque iterum

---

3) Justin. l. c. c. 6. Diodor. XVI, 91 ss. Pausan. VIII, 7. Polyaen. IV, 2. 9.

4) Diodor. l. c. c. 95. Interfectus est Philippus Ol. CXI, 1; a. u. 418; a. Chr. 336. Rotteck. l. c. p. 127. Recte Cicero, patrem cum filio Alexandro comparans (de off. I, 26, 3): Philippum rebus gestis et gloria superatum vides a filio; facilitate et humanitate fuisse superiorem. — De Philippi moribus cf. Diod. XVI, c. 95; Justin. IX, c. 8; Barthelem. l. c. T. II, 76. 77. Heeren. hist. civitt. antt. ed. 3. p. 267 ss. Valckenar. de indole etc. Philippi. Weiskius de hyperbol. Drumann id. Berol. 1825, p. 27. Raumer. interpr. orr. de cor. p. XIV ss. — 5) Diod. XVII, 2 ss. Justin. XI, c. 1 ss.

6) Justin. IX, c. 1. — 7) Id. XI, c. 3.

8) Arrian. I, 10. — 9) De quo cf. c. XII. n. 14. c. XVI, n. 15. —

XIV. 1) Cum 12000 peditibus, 11500 equitibus;

vicit[2]). Dum haec aguntur, Athenis Aeschines Demosthenem pessime[3]) vexavit, sed caussa victus patriam reliquit. Eodem fere tempore (Ol. CXII, 3; a. u. 424; a. Chr. 330) Agis, rex Lacedaemoniorum[4]), vir fortis bellique peritissimus, a Persis incitatus[5]) et adjutus, in Peloponneso exercitum collegit 20,000 peditum, 2000 equitum, et Antipatrum in Thracia pugnantem adortus est. Qui vero, motu in Thracia composito, contractis 40,000 militibus Peloponnesum ingressus, proelio uno, eoque acerrimo[6]) Lacedaemonios devicit, quorum dux fortissime pugnans[7]) cecidit. Ipsis obsides Antipater imperavit,

---

Diod. Sic. XVII, c. 17. — 2) Praecipue ad Granicum, a. u. 420; Ol. CXI, 3; a. Chr. 334; apud Issum Ciliciae, a. u. 421, Ol. CXI, 4.; a. Chr. 333; apud Gaugamela s. Arbelam Assyriae, a. u. 423, Ol. CXII, 2; a. Chr. 331. cf. Curt. III ss. Pölitz. hist. univ. I, p. 344 ss. ed. 3ae. — 3) Oratione adv. Ctesiphontem; cf. c. XXI, 22. Ol. CXII, 3; a. Chr. 330; U. C. 424.

4) Justin. XII, c. 1; Diodor. XVII, c. 48. — 5) Arrian. II, 13.

6) Diodor. Sic. XVII, c. 63 Antipatrum in hoc proelio 3500 mil., Lacedaemonios 5300 amisisse narrat. Curtius IV, 1, 39. — 7) Justin. l. c. Diod. l. c.: Ἴδιον δὲ τι συνέβη καὶ περὶ τὴν τοῦ Ἄγιδος τελευτὴν γενέσθαι. Ἀγωνισάμενος γὰρ λαμπρῶς καὶ πολλοῖς τραύμασιν ἐναντίοις περιπεσών, ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν εἰς τὴν Σπάρτην ἀπεκομίσθη· περικατάληπτος δὲ γενόμενος, καὶ τὰ καθ' ἑαυτὸν ἀπογνούς, τοῖς μὲν ἄλλοις στρατιώταις προσέταξεν ἀπιέναι τὴν ταχίστην, καὶ διασώζειν αὑτοὺς εἰς τὴν τῆς πατρίδος χρείαν. αὐτὸς δὲ καθοπλισθεὶς καὶ εἰς γόνυ διαναστὰς ἠμύνατο τοὺς πολεμίους καί τινας καταβαλὼν καὶ συνακοντισθεὶς κατέστρεψε τὸν βίον, ἄρξας ἔτη ἐννέα.

XV. Non ita multo post[1]) Harpalus, Alexandri Magni amicus, neglecti officii sibi conscius, et metuens, ne pecuniae, ipsius quidem fidei commissae[2]), sed per luxuriam maximam partem effusae, a rege ratio reposceretur, Babylone fugiens Athenas pervenit. Immensa, quam abstulerat, pecunia complures oratorum Atheniensium corrupit, qui populo suadebant, ut fugientem reciperent et supplici fidem praestarent. Demosthenes vetuit, Harpalum ne admitterent; cum vero Antipatri legati Athenas venirent, fugitivum exposcentes, Orator dicere jussus id recusavit[3]), quare et hunc Harpali donis[4]) corrup-

---

XV. 1) Ol. CXIII, 3; a. Chr. 326; U. C. 428. — 2) Alexandri thesaurorum praefectus erat. Cf. et Curt. X, 2, 2 sqq. — 3) Quia fugitivum, qui Atheniensibus se commisisset, Macedonibus tradi turpe duxit, Harpalo autem defenso ab officio discessisset. Cf. Becker. Dem. p. 118 ss.

4) Falsa esse videntur, quae de hac re Plut. Dem. c. 25, p. 857 ex Theopompo narrat: *Ἡμέραις δ᾽ὀλίγαις ὕστερον ἐξεταζομένων τῶν χρημάτων, ἰδὼν αὐτὸν ὁ Ἅρπαλος ἡσθέντα βασιλικῇ κύλικι, καὶ καταμανθάνοντα τὴν τορείαν καὶ τὸ εἶδος ἐκέλευε διαβαστάσαντα, τὴν ὁλκὴν τοῦ χρυσίου σκέψασθαι. Θαυμάσαντος δὲ τοῦ Δημοσθένους τὸ βάρος καὶ πυθομένου, πόσον ἄγει, μειδιάσας ὁ Ἅρπαλος· „Ἄξει σοι,“ φησὶν, „εἴκοσι τάλαντα·“ καὶ γενομένης τάχιστα τῆς νυκτὸς, ἔπεμψεν αὐτῷ τὴν κύλικα μετὰ τῶν εἴκοσι ταλάντων. Οὐκ ἀντεσχεν ὁ Δημοσθένης, ἀλλὰ πληγεὶς ὑπὸ τῆς δωροδοκίας, ὥςπερ παραδεδεγμένος φρουρὰν, προςκεχωρήκει τῷ Ἁρπάλῳ κτλ.* Pausanias l. XI, c. 23 innocentem fuisse Oratorem exponit; cf. Becker. l. c. p. 122. Harpalus, teste Philochoro, e custodia Taenarum et inde in Cre-

tum putarunt. Hujus criminis ab inimicis[5]) accusato Demostheni, patriae illi amantissimo, cum Aristogitone, Philocle, Gnosione, Aristonico et Demade[6]) mulcta L talentorum (120000 florr.) ab Areopagitis dicta est; quam cum sufferre non posset Demosthenes, effugit, a bonis civibus cultus et observatus[7]).

XVI. Graviter tulit exilium; in Aegina et Troezene commoratus Atticam saepe intuens lacrimas profudit[1]). Mortuo autem paulo post Alexandro Magno[2]) Graeciae civitates belli, quod jam vivo rege[3]) summa vi apparaverant, fecerunt initium. His rebus auditis Demosthenes comitem legatis[4]) sese praebuit, quos Athenienses miserant, ut civitates Peloponnesias in societatem armorum sollicitarent. Noster, ut Atheniensibus se jungerent, civitatibus persuasit[5]),

---

tam effugit, ubi Thimbro (amicus!) eum occidit. Diodor. XVII, c. 108.

5) Hyperide, Pythea, Menesaechmo, Himeraeo, Stratocle. Plut. I, p. 846.

6) Demades, puto, crimine absolutus est, quum Athenienses eum paulo post legatum cum Phocione ad Antipatrum mitterent.

7) Quum e carcere (Plut. Dem c. 26, p. 858) atque ipsa urbe profugisset, vidit inimicorum aliquos citato cursu vestigia sua subsequentes, et latebras pavidus quaesivit. At illi fugientem tandem assecuti oraverunt, ut posita formidine pecuniam acciperet, quam domo ipsi tanquam viaticum attulissent!

XVI. 1) Plut. l. c. — 2) Natus Ol. CVI, 1; a. u. 398; a. Chr. 356; mortuus Babylone Ol. CXIV, 1; a. u. 430; a. Chr. 324, complevit annos 33; cf. Cic. 5 Phil. 17. Arrian. VIII, 28 vixisse regem 32 annos 8 menses, regnasse 12 annos 8 menses docet. Cf. Curtius X, 5. Rotteck. hist. univ. II, p. 139 ss. — 3) Ol. CXIII, 3. a. Chr. 326; U. C. 428. Diod. XVII, 111. — 4) Hyperidem ab Atheniensibus legatum missum dicit Justin. XIII, 5. — 5) Quo facto ingenuo ac ge-

et Leosthenes cum exercitu, jam prius collecto, Antipatrum, qui Lamiam[6]) Thessaliae se receperat, obsidione cinxit. Leosthene autem in obsidione hujus urbis occiso Antiphilus dux electus est[7]). Antipatro[8]) Leonnatus, Phrygiae minori praefectus[9]), cum exercitu auxilio venit; sed a Graecis, obviam ipsi euntibus, in proelio equestri victus et interfectus est et fuso[10]) ejus exercitu recepto, Antipater in Macedoniam concessit. Graecis deinde magnam partem in urbes suas dilapsis eorumque classe apud Echinas a Clito, Macedonum duce, bis superata[11]), Antipater, qui cum Cratero[12]) se conjunxerat, in Thessaliam rediit. In pugna[13]) apud Cranonem Thessaliae commissa victi Graeci omnes[14]) pacem petierunt, exceptis solis Aetolis et Atheniensibus. Athenas igitur hostes irati profecti sunt, nec pacem supplicibus[15]) dederunt, nisi conditionibus iniquissimis[16]).

---

neroso Atheniensibus nuntiato, tantum bonos omnes Demosthenis desiderium tenuit, ut auctore Demone statim in patriam revocaretur, cunctique magistratus et sacerdotes civesque laetitia elati obviam revertenti proficiscerentur. Plut. Dem. c. 27. — 6) Unde bellum Lamiacum denominatum.

7) Diodor XVIII, 11 ss. Justin. l. c. — 8) Alexandro mortuo magnum ejus regnum inter duces divisum et Antipater Graeciae Macedoniaeque praepositus est: Diodor. XVIII, c. 3; Justin. XIII, c. 4. Curtius X, 7. — 9) Diod. et Just. ll. cc.

10) Diodor. l. c. c. 15; Justin. XIII, c. 5. —

11) Diodor. l. c. — 12) Cui pecuniae regiae custodiam traditam fuisse narrat Justinus XIII, c. 4, §. 5. —

13) Ol. CXIV, 2; a. Chr. 323; U. C. 431. — 14) Callidus Macedonum dux non omnibus communem, sed singulis Graeciae civitatibus singularem pacem dedit; cf. Diodor. XVIII, 17. — 15) Miserant Demadem oratorem, hominem nequam, Phocionem aliosque legatos ad Antipatrum; Diod. l. c. 18. — 16) Dio-

XVII. Demosthenes, quum audiret, Antipatrum Athenas petere, clam ex urbe effugit una cum ceteris oratoribus, qui Graeciae libertatem defenderant bellumque Lamiacum eloquentia sua excitaverant[1]). Auctore Demade cives[2]) eos capitis condemnarunt, et Antipater Archiam[3]) cum militibus misit, qui dispersos persequere-

---

dor. XVIII, c. 18: Ὁ δὲ δῆμος, οὐκ ὢν ἀξιόμαχος, ἠναγκάσθη τὴν ἐπιτροπὴν καὶ τὴν ἐξουσίαν πᾶσαν Ἀντιπάτρῳ δοῦναι περὶ τῆς πόλεως. Ὁ δὲ τὴν πολιτείαν μετέστησεν ἐκ τῆς δημοκρατείας, καὶ προςέταξεν ἀπὸ τιμήσεως εἶναι τὸ πολίτευμα, καὶ τοὺς μὲν κεκτωμένους πλείω δραχμῶν δισχιλίων κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος καὶ τῆς χειροτονίας· τοὺς δὲ κατωτέρω τῆς τιμήσεως ἅπαντας ὡς ταραχώδεις ὄντας καὶ πολεμικοὺς ἀπήλασε τῆς πολιτείας, καὶ τοῖς βουλομένοις χώραν ἔδωκεν εἰς κατοίκησιν ἐν τῇ Θρᾴκῃ. Οὗτοι μὲν οὖν ὄντες πλείους τῶν δισμυρίων καὶ δισχιλίων μετεστάθησαν ἐκ τῆς πατρίδος.

XVII. 1) Fuerunt Hyperides, Aristonicon et Himeraeus; Plut. Dem. T. I, p. 859. — 2) Quis mutabiles Atheniensium animos ignorat? Dem. f. leg. p. 383 Rsk. Ὡς ὁ μὲν δῆμός ἐστιν ὄχλος, ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων καὶ ἀσυνετώτατον, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκατάστατον, ὡς ἂν τύχῃ κινούμενον. — 3) Plut. Dem. c. 28: Ὁ Ἀντίπατρος περιέπεμπε τοὺς συλλαμβάνοντας, ὧν ἡγεμὼν ἦν Ἀρχίας, ὁ κληθεὶς Φυγαδοθήρας. Τῦτον δὲ, Θούριον ὄντα τῷ γένει, λόγος ἔχει τραγῳδίας ὑποκρίνεσθαι ποτὲ, καὶ τὸν Αἰγινήτην Πῶλον, τὸν ὑπερβαλόντα τῇ τέχνῃ πάντας, ἐκείνου γεγονέναι μαθητὴν ἱστοροῦσιν· Ἕρμιππος δὲ τὸν Ἀρχίαν Λακρίτου τοῦ ῥήτορος μαθητὴν ἀναγράφει. Δημήτριος δὲ τοῦ Ἀναξιμένους διατριβῆς μετεσχηκέναι

tur. Hic reliquos, qui in Aeginam[4]) ad Aeaci templum fugerant, cepit, et Cleonas[5]) misit, ubi Antipater eos interfici jussit. Demostheni vero, qui in Neptuni aedem in Calauria insula[6]) confugerat, multa pollicitus est, si templo excederet et secum ad Antipatrum proficisceretur; sed Orator, hostium promissis haud deceptus, sumto veneno velocissimo XVI die Pyanepsionis Ol. CXIV, 3 Philocle Archonte (a. Chr. 322.) periit[7]).

XVIII. Ita periit Demosthenes, cujus commemorato nomine maximae eloquentiae consum-

---

φησὶν αὐτόν. — 4) Aegina, insula in sinu Saronico sita, nomen ab Aegina, Asopi filia, Aeaci matre, duxisse fertur. — 5) Peloponnesi oppidum, ubi oratores illi crudelissime interfecti sunt; Plut. Dem. c. 28. — 6) Parva insula, oppido Troezeni exadverso sita. — 7) Demosthenis mortem pluribus describunt Plut. Dem. c. 29 et Pseudo-Lucian. encom. Demosthenis. Summos mortuo honores Athenienses habuerunt, ut Plutarchus quidem narrat in vita Dem. cap. XXX, p. 860 R.: Τούτῳ μὲν ὀλίγον ὕστερον ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ἀξίαν ἀποδιδοὺς τιμὴν, εἰκόνα τε χαλκῆν ἀνέστησε, καὶ τὸν πρεσβύτατον ἐψηφίσατο τῶν ἀπὸ τοῦ γένους ἐν Πρυτανείῳ (Prytaneum locus fuit Athenis in arce, ubi magistratus consilium habere solebant. Ibi et publice alebantur, qui vel quorum majores bene de rep. meriti erant, qui honos habebatur maximus, Vid Barthelem. Anachars. II, 177. Boeckh. oecon. polit. Athen. al.) σίτησιν ἔχειν. Καὶ τὸ ἐπίγραμμα τὸ θρυλλούμενον ἐπεγράφη τῇ βάσει τοῦ ανδριάντος.

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, εἶχες,
Οὔποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακέδων.

matio audientis animo oboritur[1]), orator ille tam acutus, tam brevis, tam rotundus[2]), tantus tamque eximius, tam gravis et eloquens, tanta prudentia et vi dicendi instructus, ut unus inter omnes oratores graecos excellat, ut in ejus laude omnes consentiant. Imprimis audiendus est ex antiquis criticis ut eorum de Oratore nostro judicia proferam — Dionysius Halicarnassensis[3]), qui et affirmat[4]), Aristotelem tum demum ad artem rhetoricam scribendam se contulisse, quum Demosthenes aliquot orationes habuisset, et fatetur[5]), se aliqua Demosthenis oratione sumta, numine quodam corripi variisque moveri affectibus, diffidere, conten-

---

XVIII, 1) Valer. Max. VIII, 7. extr. 1. And of all human productions, the orations of Demosthenes present us the models, which approach the nearest to perfection. Hume essay on eloquence. — 2) Hier. Wolfii praef. in Dem. lat. — 3) Ol. CLXXX ss. —

4) in epist. ad Ammaeum de Demosth. et Arist. c. 2: Δημοσθένους ἀκμάζοντος ἤδη καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους εἰρηκότος ἀγῶνας, τότε ὑπ᾽ Ἀριστοτέλους τὰς ῥητορικὰς γεγράφθαι τέχνας. — 5) In libro illo, quem de admiranda vi dicendi Demosth. conscripsit, T. VI, p. 1021 Reisk.; v. Rüdigeri diss. de canone Philipp. Dem. Frib. 1820, p. 6. — *Aeschines* ipse, Demostheni inimicissimus, quum ab eo victus propter ignominiam judicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset [ubi scholam eloquentiae instituit], rogatus a Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: quâ perlecta petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita. Quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum? Cic. de or.

dere, metuere, contemnere, odio inflari, misericordia et benevolentia duci. — Cicero, summus Romanorum orator, Plane perfectum, inquit, et cui nil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis caussis, quas scripsit, nihil (ut ita dicam) subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate, vel sententiarum, quo quidquam esset limatius (Brut. c. 9), et (Or. c. 7): Recordor longe omnibus unum anteferre Demosthenem, qui vim accomodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim. Hoc nec gravior extitit quisquam, nec callidior, nec temperantior. Itaque nobis monendi sunt ii, quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Attice volunt dicere, ut mirentur hunc maxime, quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas. — Quinctilianus etiam, optimus eloquentiae magister, Sequitur, inquit (instt. oratt. X, c. 1, §. 76) oratorum ingens numerus, cum decem simul Athenis aetas una tulerit, quorum longe princeps Demosthenes ac paene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, ut nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quid desit in eo, nec quid redundet, invenias[6]. — Longinus, comparans Nostrum cum Hyperide, Modo, ait (π. τοῦ ὕψους, sect. 34, §. 4), arripit magnitudinem ingenii per-

III, c. 56, §. 213. Vid. et Val. Max. l. VIII, c. X, 1 ext. et supr. c. XIV, p. 21.

6) Comparat idem Demosthenem cum Cicerone

fectasque virtutes, vehementiam sublimitatis, acres affectus, ubertatem, animi praesentiam, celeritatem; modo, id quod potissimum videtur, inaccessa illa vi utitur; quoniam haec divina dona (humana enim dici nequeunt) sibi omnia arrogavit, omnes vincit iis bonis, quae ipse habet: si qua ei desunt, ea sic compensat, ut oratores omnium temporum attonitos reddat et fulmine perstringat: celerius enim quisquam labenti fulguri oculos obvertat, quam cumulatis ejus affectibus[7]). In eandem sententiam disputant Demetrius Phalereus, Hermogenes, Pseudo-Lucianus, Plutarchus, alii. Ex recentioribus vero criticis eximias ejus virtutes oratorias praecipue laudant Erasmus Roterod., Hier. Wolfius, Taylorus, Reiskius[8]), Barthelemius[9]),

(instt. oratt. X, c. 1, §§. 108 s.): Demosthenis atque Ciceronis virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique, quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior; ille concludit astrictius, hic latius pugnat; ille acumine semper, hic frequenter et pondere; illi nihil detrahi potest, huic nihil adjici; curae plus in illo, in hoc naturae. Cedendum vero in hoc quidem, quod ille et prior fuit et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. — 7) Et Longinus (l. c. sect. 12, §. 4 s.): Noster ille, ait, quoniam cum vi, celeritate, robore, vehementia urit simul et diripit omnia, turbini cuidam similis videatur aut fulmini; hic autem ut late fusum incendium ubique depascens provolvitur, multum et diu urit, in eodem loco huc illuc dividitur et vicissim crescit etc. V. Pistoris diss. de Demosthenis ingenio et eloquentia; Darmstad. 1826, p. 10 s. — 8) in praefationibus et annotationibus ad Demosthenis opp. et vers. — 9) in it. Anachars. intp. Biester;

Augerus[10]), F. A. Wolfius[11]), Heerenius[12]), Jacobsius[13]), Schaeferus[14]), Jenischius[15]), A. G. Beckerus[16]), Ruedigerus[17]), alii[18]). Excellit enim Demosthenes summis virtutibus oratoriis; excellit modestia[19]), dicendi gravitate, quae cernitur in sententiis praeter exspectationem propositis[20]) sibique invicem oppositis[21]), et argumentis, quibus adversaria ratio refellitur. Conjuncta sunt in Demosthenicis cum simplicitate orationis ornamenta: interrogationes, metaphorae, imagines, comparationes, exclamationes, praesumtiones, apostrophae, hyperbolae, geminationes, ascensus, reticentiae, paronomasiae, ironia, concessiones[22]); modo vi et granditate

---

T. V, p. 140. 169. al. — 10) v. ed. et vers. ejus oratt. Demosth. Paris. 1790 et Angers. 1804. — 11) v. ejus prolegg. in orat. Leptineam. — 12) in id. pol. etc. III, 1, p. 415 ss. ed. 2dae. 1821. — 13) in praef. et annott. ad vers. orationum Demosthenis deliberativ. Lips. 1805. —

14) in apparatu crit. et exeget. etc. Lond. 1824 ss. passim. —

15) in comparatione aesth. crit. Dem. et Cic. Berol. 1801. —

16) in Demosth. Orat. Hal. 1815 et in vers. orr. delibb. passim. —

17) l. c. et al. — 18) v. c. Gillies the history of ancient Greece, etc. Vol. IV, p. 345 ss. etc. Schoell. hist. Gr. litt. intp. Schwarze, p. 382 ss. Voemel., Bremi. al. in edd. Raumerus in prolegomenis ad interpret. oratt. Aeschinis et Demosthenis de corona. Berol. 1811. —

19) Phil. I init. — 20) σχήματα παρὰ προςδοκίαν. — 21) ἀντιθέσεις. — 22) Exempla collegerunt Rüdigerus, Beckerus aliique l. dicendi gravi-

verborum et sententiarum (μέγεθος vel δεινότητα Graeci dixerunt) utitur Orator, modo pressus est et tenuis[23]). Admiramur denique subtilitatem[24]), sententiarum veritatem, pulchritudinem et nobilitatem, rerum copiam et ubertatem[25]),

tatis (Olynth. I, p. 10, 8; II, 22, 11; 25, 26; 31, 9; III, 33, 26; II, 23, 24; 31, 1; III, 33, 16); 2. interrogationum (Ol. III, 33, 10; 38, 5; Phil. I, 40, 15; 43, 2); 3. metaphorarum (Phil. I, 42, 16. 21; 43, 1; 48, 25; 51, 10; 54, 9); 4. imaginum et comparationum (Ol. II, p. 21, 7; 24, 3; Ol. III, 33, 5; Phil. I, 47, 13; 51, 24. Vid. Voemel. ed. Philipp. V. p. 304.); 5. exclamatt. (Ol. I, 13; de cor. 327); 6. proleps. (Ol. III, 36); 7. apostroph. (de cor. p. 297 et 332); 8. hyperbol. (Phil. III, p. 118); 9. geminat. (Ol. II, p. 20); 10. ascens., gradatt.s. clim. (de cor. 288, 7); 11. reticentiae sive aposiopesis (de cor. 226, 18); 12. paronomas. (Ol. III, p. 36); 13. iron. (de cor. p. 288. 311); 14. concess. (de class. p. 185; Lept. §. 18). —

23) Wolf. in prolegg. ad Lept. p. 41: Sed enim hoc vel summum est oratoriae facultatis, nosse, quomodo pro varietate rerum ad dicendum propositarum stilus variandus sit, ne, ubi vehementem et incitatum res poscat, summisso, neve contra elato utaris. Quam artem nemo unquam melius calluit Oratore nostro, quem quis recte hac una de caussa ceteris omnibus, quos et suppar et posterior aetas protulit, anteponendum putet. Ita ille in nonnullis orationibus, quas in caussulis privatorum scripsit, pressus est et tenuis, ita in Philippicis copiosus, gravis et grandiloquus, vix ut in utrisque eandem manum agnoscas. Idem passim monuerunt veterum nonnulli; nemo diligentius quam Dionysius Halic. de vi dicendi in Dem. p. 974 sqq. T. VI Reisk. — 24) Id. l. c. d. 42: Cic. orat ad M. Brutum, c. 31. Multae sunt Demosthenis totae orationes subtiles, ut contra Leptinem etc. De subtilitate, quam Graeci dicunt λέξιν λιτήν, ἰσχνήν, ἀφελῆ, videndus Cic. or. c. 23 sqq. — 25) Vid. F. A. Wolf. Lept. XLVII: Unum addam, in quod praeterea lectoris animum intendi velim, ubertatem et copiam re-

Oratoris humanitatem[26]) et diligentiam[27]), nec non pietatem atque prudentiam[28]).

XIX. Orationum Demosthenicarum tria sunt genera, nam ad tria caussarum genera referuntur. Sunt I. deliberativae s. consultativae (consultationes), quae ad rempubli-

---

rum, qua Demosthenes hoc argumentum suum dilatavit, in intimos quasi recessus materiae descendendo, nihil tamen, quod vel alienum esset, vel e longinquo petitum, sophistica arte inculcando, omnibus vero, quae rem clarissima luce circumfundere et judices in quam vellet partem movere possent, occupandis et in usum suum convertendis etc. — 26) Vid. eund. l. c. p XLV. — 27) Nunquam fere orationem habebat, nisi adhibita diligentissima praeparatione. Quare adversarii eum irridebant, et Pytheas (orator Atheniensis, Philippi et Alexandri M. tempp., demagogus improbus, homo libidinosus, a Philippo redemtus; Plut. Phoc. c. 21, Dem. ep. III de Lycurgi fil.) quondam, *Ἐλλυχνίων*, dixit, *ὄζειν αὐτοῦ τὰ ἐνθυμήματα.* Cui acerbe Demosthenes: *Οὐ ταυτὰ γὰρ ἐμοὶ καὶ σοὶ, ὦ Πυθέα, ὁ λύχνος σύνοιδε.* Plut. Dem. c. 8. Premente autem subita necessitate etiam imparatus ad dicendum aggressus est, prospero quidem successu. Quare Aeschines summa audacia Demosthenem armatum fuisse (c. Ctesiph. T. III, p. 540 R.) narrat; Pythoni Byzantio, Athenienses probris vexanti, solus Noster respondit (v. de corona, p. 272); adversus Lamachum Myrrhinaeum, Olympiae universa Graecia audiente laudes Philippi et Alexandri recitantem, multaque Thebanos et Olynthios ignominia afficientem, has civitates solus defendit et quanta fuerit Thebanorum in omnes Graecos meritorum magnitudo tanta vi demonstravit, ut invidus ille eorum obtrectator clam effugeret. — Quae Demosthenes ipse de hac re senserit, legas in or. c. Mid. p. 576. —

28) Pietatem atque prudentiam Demosthenis saepe observamus, si Orator industriam civium cum favore

cam regendam; II. judiciales, quae ad populiscita, leges aliasque caussas publicas[1]), aut ad privatas civium controversias; III. demonstrativae, quae ad laudes pertinent[2]).

XX. Demosthenis orationes deliberativae (λόγοι συμβουλευτικοί) aut ad bella, aut ad socios, instituta, foedera populi Atheniensium referendae sunt.

A. Earum, quae ad bella pertinent, procul dubio gravissimae sunt orationes adversus Philippum[1]), Amyntae filium, Macedonem; et

a. ante pacem Ol. CVIII, 2 factam, et

b. post illam pacem habitae.

a. 1. Philippica prima; Ol. CVII, 1; a. Chr. 352; u. c. 402; Dem. 33.

2. Olynthia I; Ol. CVII, 4; a Chr. 349; u. c. 405; Dem. 36.

---

numinis conjungit, ut eventus optatus sequatur; cf. Olynth. II, p. 24 R. init. §. 20: δοκεῖ δ' ἔμοιγε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δείξειν οὐκ εἰς μακρὰν, ἄν οἵ τε θεοὶ θέλωσι καὶ ὑμεῖς βούλησθε; ib. §. 22 al.

XIX. 1) Caussae publicae sunt, quae ad totam rempublicam, ad vitam, salutem, fortunas omnium civium spectant.

2) Liban. περὶ τῶν μέρ. τῆς ῥητορ.: Τῆς ῥητορικῆς μέρη τρία· ἐπιδεικτικὸν, συμβουλευτικὸν καὶ δικανικόν.

XX. 1) H. Wolf. ad titul. Phil. I: Harum orationum tanta fuit celebritas, ut et M. Tullius Cicero, quas in M. Antonium habuit, infelici et exemplo et aemulatione Philippicas quam Antonianas inscribere maluerit. Nam et Philippi atque Alexandri successor Antipater ad necem compulit Demosthenem, et Cicero crudelius etiam interfectus est. —

3. Olynthia II; } eodem anno habitae.
4. Olynthia III; }

b. 5. de pace Ol. CVIII, 3; a. Chr. 346; u. c. 408; D. 39.

6. Philippica II; Ol. CIX, 1; a. Chr. 344; u. c. 410; D. 41.

7. de Chersoneso; Ol. CIX, 3; a. Chr. 342; u. c. 412; D. 43.

8. Philippica III; Ol. CIX, 4; a. Chr. 341; u. c. 413; D. 44.

Genuinis his orationibus adnumerari solent dubiae auctoritatis:

9. de Haloneso; Ol. CIX, 2; a. Chr. 343; u. c. 411; D. 42.

10. Philippica IV; Ol. CIX, 4; a. Chr. 341; u. c. 413; D. 44.

11. adversus Philippi epistolam; Ol. CX, 1; a. Chr. 340; u. c. 414; D. 43.

1. De Philippicae I. (πρὸς Φίλιππον λόγος πρῶτος) caussa et argumento v. cap. VIII. — Dionysius Halicarn. eam in duas partes dispescuisse videtur[2]), quarum alteram verbis Ἃ μὲν ἡμεῖς, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δεδυνήμεθα εὑρεῖν, ταῦτά ἐστιν κτλ. incipientem, Noster Ol. CVIII, 2, Themistocle Archonte, post Olynthiam III. habuisset. Ex criticis recentioribus alii[3]) Dionysii sententiam ingenio acutissimo defendunt, alii vero unam esse hanc orationem arbitrantur[4]). Cum enim primae parti, ex-

2) Dionysii enim textum hic corruptum et male emendatum ad nos pervenisse, viri docti bene jam animadverterunt, et orationis fortasse alicujus mentio ibi fit, quae, eodem usa initio, jam non extat. — 3) v. c. Lelandus et Jacobsius l. c. —

4) v. c. Augerius ll. cc.; Beckerus l. c. p. 270; Bremius in symbol. philol. helvet. T. I, p. 21 ss. —

emta altera, multa desint; cum complures alterius partis loci ad prioris locos referri debeant; cum Olynthi Ol. CVII, 3 expugnatae mentio nulla[5]) fiat; cum denique ridiculus fuisset orator, si, eversa jam Olyntho, Philippo portus esse claudendos jussisset: una oratio esse videtur.

2. 3. 4. Orationes Olynthiae tres (Ὀλυνθιακὸς α', β', γ'.). V. supr. c. IX. — Dionysii harum orationum collocatio[6]) vulgato ordini repugnat, quem Libanius, Ulpianus et veterum recentiorumque non pauci probarunt. Demosthenes autem in prima oratione Olynthia (vulg. II) gaudium exprimit, quod Olynthii contra Philippum bellum pararent[7]); Thessalis adhuc ignotum[8]) esse, contra Philippum Athenienses aliquid moliri, supponit; Charetis victoriam[9]) silentio praeterit, et Olynthum parvis tantum copiis[10]) servari posse demonstrat. Quare Dionysius recte orationem vulg. ordinis secundam

---

5) Quam rem Demosthenes in omnibus fere post Ol. CVIII habitis Philippicis attingit. — 6) vid. Rauchensteinii diss. de or. Olynth. ordine, Lips. 1821. — 7) Habita a Demosthene prima pro Olynthiis oratione, auxilium eis ab Atheniensibus missum erat; in secunda igitur oratione de bello *jam suscepto* sermo fieri debuit. Cum vero in illa, quam *vulgo* secundam nominant, legamus, Olynthios bellum cum Philippo *gesturos esse* (neque jam, Atheniensium auxilio adjutos, suscepisse): recte *prima* ea dicitur. — 8) Si vero haec oratio Olynthiarum II. esset, ignotum id Thessalis esse non potuit; Olynthii enim, quum IIdam harum orationum Noster haberet, jam ab Atheniensibus auxilium acceperant. — 9) De qua quum Athenienses tantopere laetati sint, Demosthenes, si, quum hanc orationem diceret, reportata jam fuisset, neque silentio eam praetermisisset, neque nihil plane hucusque a civibus suis factum esse dixisset. — 10) Belli tantum *initio* dici hoc potuit. —

re vera primam esse docet. Bene et secundam eam esse orationem, quam vulgo tertiam dicunt, demonstratur, cum omnes consentiant, eam post primam (vulg. II) ponendam esse. Nec prima esse potest propterea, quod auxilium jam tulisse Athenienses non negat orator, neque tertia, quia Demosthenes non tam offenso animo agit, quo debuisset, rebus civium socordia jam in summum discrimen vocatis.

5. Oratio de pace (περὶ τῆς εἰρήνης)[11]. Pace cum Philippo Ol. CVIII, 2 facta Demosthenes hanc orationem habuit. Aegre quidem ferens, quae gesta erant, iraque in patriae proditores accensus, pacem tamen servandam, neque bellum hoc tempore redintegrandum esse docet, ne tota civitas periret.

6. Oratio Philippica II (κατὰ Φιλίππου λόγος β΄). Redux e Peloponneso, ubi contentiones a Philippo inter Lacedaemonios et Messenios motas composuerat, hanc orationem Noster habuit, Philippi consilia et Graeciae civitatum conditionem iniquam detexit, civesque suos, ut cautiores sint, admonuit[12].

7. Oratio de Chersoneso (περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ πραγμάτων ἢ ὁ περὶ Διοπείθους). Miserant Athenienses in Chersonesum colonos, Diopithe duce, qui Cardiam Philippi oppidum oppugnavit agrosque Macedonum vastavit. Rex igitur Athenienses, pace a Diopithe violata, supplicium de eo sumere jussit; Demosthenes autem hac sua oratione demonstrat, jam ante a Philippo ipso

---

11) De hac oratione vid. quae optime scripsit Voemelius in ed. Philippicarum V., pag. 240 ss.

12) v. cap. XI. Hujus orationis, quam mutilam esse intpp. judicarunt, integritatem defendit Voemelius in prol. Francof. auct. 1828.

pacem esse violatam, quare Diopithes hosti illi optimo jure bellum intulisset.

8. Oratio Philippica tertia (κατὰ Φιλίππου λόγος γ'). Quum Philippus, jurejurando violato, Thraciam invasisset, Demosthenes, quamvis Macedonum amici, οἱ παῤ αὐτοῦ μισθοφοροῦντες[13]), Philippum pacem nondum turbasse clamitarent, universam Graeciam in summo periculo versari, omnibus igitur Graeciae civitatibus una bellum contra illum parandum esse docet. Haec est oratio, quam Dion. Hal. T. VI, p. 947 R. τὴν μεγίστην τῶν κατὰ Φιλίππου δημηγοριῶν recte dicit.

His orationibus, quas Demosthenes adversus Philippum habuit, editores tres addere solent, quae vero supposititiae esse videntur.

9. Oratio de Haloneso (περὶ τῆς Ἁλοννήσου). Philippus per Pythonem oratorem epistolam Athenas misit, qua praesertim 1) se insulam Halonesum, quae illis fuerat et quam classis regia ceperat, redditurum esse promisit, et 2) Athenienses invitavit, ut una cum classe regia mare et insulas tuerentur. Amicis Philippi ea probantibus omnes boni cives hac regis superbia graviter commoti sunt, et Demosthenes summa vi et eloquentia efficere conatus est, ut, quae rex proposuisset, cives spernerent. Et hujus orationis (quam plurimi criticorum et antiquorum[14]) et recentiorum[15]) Demostheni recte ad-

---

13) i. e. exponente Reiskio (p. 114, 9) cives Athenienses, rem Philippi in urbe factitantes, mercede conducti. Vid. supr. cap. XI.

14) Dionys. Hal. p. 981 et 994, T. VI, R., Harpocration, Suidas et Etym. M., Photius, Libanius in argum. p. 75, 10. — 15) v. c. Gesnerus, Ruhnkenius,

scribi negant) auctor Halonesum non **reddendam**, sed **tradendam** esse[16]) Atheniensibus contendit; **complures** vero de Haloneso apud populum egisse Philippi epistola p. 162, 16 R. docet.

10. Oratio **Philippica quarta** (*κατὰ Φιλίππου λόγος δ'*). Haec oratio, quae pacem a Philippo violatam Byzantiisque auxilium esse mittendum docet, veteres minime offendit. Cum autem 1) legem de pecunia theatrali auctor ejus sustineat, quam Demosthenes paucis annis ante (in Olynth. III) antiquari voluerat, cum 2) Demosthenicae modestiae dicendique rationi saepius repugnet, multaeque 3) singulae eloquutiones et totae periodi ex aliis Demosthenis oratt. desumtae sint, Nostri esse non videtur.

11. Oratio **adversus Philippi epistolam** (*ὁ πρὸς τὴν ἐπιστολὴν Φιλίππου λόγος*). Plenam querelarum et criminum epistolam Philippus Athenas miserat, quae adhuc in manibus est. Sed ad hanc epistolam oratio nostra minime pertinet, nec est, nisi collectio locorum reliquarum oratt. Phill. praestantiorum[17]).

Taylorus, Reiskius, Jacobsius, Beckerus, Rüdigerus (l. c. p. 12 ss). Weiskius, Demostheni eam vindicans (in diss. de hac or. Lübb. 1808), ipse conatum suum successu caruisse fassus est; v. Appar. crit. etc. ad Dem. T. I, p. 131. Cum enim auctor hujus or. (p. 77, 10) se ex illis legatis fuisse, qui ad Philippum missi essent (cf. de falsa leg. p. 447, 9) narret; cum deinde nec gravitas Nostri, nec simplicitas, nec ornamenta orationis hic inveniantur, Demosthenis oratio esse non potest; v. Rüdiger. l. c. — 16) quod et Dem. in oratione deperdita contendisse fertur; v. Quinctil. instt. orr. III, 8; Plut. Dem. c. 9.; Aeschines c. Ctesiph. p. 476 R. — 17) cf. Rüdiger. l. c. —

XXI. B. Sequuntur reliquae Demosthenis orationes deliberativae, quae ad alia bella, ad instituta, foedera, socios Atheniensium pertinent:

12. (9)[1]), Oratio de symmoriis; Ol. CVI, 3[2]); a. Chr. 354; u. c. 400; D. 31.
13. (10), de Megalopolitanis; Ol. CVI, 4; a. Chr. 353; u. c. 401; D. 32.
14. (11), de Rhodiorum libertate; Ol. CVII, 2; a. Chr. 351; u. c. 403; Dem. 34.

Adduntur supposititiae:

15. de contributione; Ol. CVI, 4; a. Chr. 353; u. c. 401; D. 32.
16. de foedere cum Alexandro; Ol. CXIII, 3; a. Chr. 326; u. c. 428; D. 59.

12 (9). Oratio de symmoriis[3]) (περὶ συμμοριῶν). Haec est prima oratio, quam Demosthenes de republica in concione habuit. Chares, dux Atheniensis, Ol. CV, 4., ignorante populo, Artabazo contra Artaxerxem auxilio venerat. Quare[4]) iratum et hanc injuriam ulturum regem contra Athenienses bellum parare nunciatum est. Alii quidem oratores populo suaserunt, ut arma Asiae minori inferret, Noster autem, qui bene intellexit, hoc bellum Athenienses, jam cum Philippo de Amphipoli, cum Thebanis propter Phocenses pugnantes, in summum discrimen adducturum, bellum regi nullo modo in-

---

XXI. 1) Nota uncis inclusa orationum Demosthenis genuinarum numerum indicat. — 2) Ita Dionys. Hal.

3) V. Boeckh. occ. pol. Ath. II, 50. 59. 99 ss. — 4) Quia inter Charetis expeditionem et hanc de bello Persico deliberationem quadriennium fere intercesserat, Armersfordtius in diss. de symmoriorum apud Athh. inst. (Lugd. B. 1821) ad recentiores Persarum apparatus hanc orat. referendam esse censet. —

ferendum, arma vero paranda esse demonstravit, ne imparatos impetus regius reperiret.

13 (10). Oratio de Megalopolitanis[5]) (περὶ τῶν Μεγαλοπολιτῶν). Lacedaemonii Megalopolitanos obsidione cinxerant, et utrique ab Atheniensibus auxilia petierunt. Demosthenis hos adjuvit eloquentia, docentis, Lacedaemoniorum vires non augendas, sed, licet ipse sociis Lacedaemoniis faveret, tamen, periculo Megalopolitanis imminente, arma sumenda esse. Quod cum Atheniensibus Orator persuasisset, Lacedaemonii tum ab armis recesserunt.

14 (11). Oratio de Rhodiorum libertate (περὶ τῆς τῶν Ῥοδίων ἐλευθερίας). Rhodii, Atheniensium socii[6]), Artemisiae, Cariae reginae, imperio pressi legatos Athenas miserunt, qui rogarent, ut Athenienses socios suos dominatu illo liberarent. Auxilium ipsis mittendum esse Demosthenes censuit populoque persuasit[7]).

15. Oratio de contributione (περὶ συντάξεως). Σύνταξιν Graeci, Xerxe profligato, eam pecuniam nominarunt, quam pro Graeciae a barbaris defensione Atheniensibus pendebant; de-

---

5) Megalopolis urbs Arcadiae fuit, condita ab Epaminonda, post victoriam ad Leuctra reportatam (Ol. CII, 2). Praeclaro illo duce mortuo Lacedaemonii, tanti hostis metu liberati, Arcadiam invaserant et oppidum illud obsidione cinxerant.

6) Paulo ante defecerant, Athenienses autem bello illato (Ol. CV, 3 — CVI, 1) eos sibi denuo subjecerant. Sed Mausolus, Cariae rex, a quo impulsi defecerant ab Atheniensibus, post eorum libertatem ipse oppressit, regeque mortuo uxoris ejus imperio Rhodii tenebantur. — 7) Mortua paulo post Artemisia sine Atheniensium auxilio libertatem Rhodii recupe-

inde σύνταξις census omnis est, h. l. pecuniaria contributio, civi cuique pro modo fortunarum indicta, ut milites inde vestes, arma, commeatum pararent[8]). Non esse Demosthenis hanc orationem[9]), nunc satis constat.

16. Oratio de foedere cum Alexandro (περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν). Alexander M., priusquam in Asiam trajiceret, foedus cum Graeciae civitatibus fecisse videtur. Quod vero quum a Macedonibus ipsis saepius violatum esset, auctor hujus orationis, quae jam Dionysio Hal. spuria[10]) esse videbatur, cives Macedonibus bellum inferre jussit.

XXII. Demosthenis orationes judiciales (λόγοι δικανικοί) aut de publicis rebus civitatis, aut de privatis civium controversiis agunt.

A. Actiones publicae (κατηγορίαι) de impietate, de legibus et latis et neglectis, de legationibus scriptae[1]).

a. De impietate.

17 (12). Oratio in Midiam[2]) (κατὰ Μειδίου), Ol. CVII, 4. Quum Demosthenes, ceteris prop-

---

rarunt. — 8) V. Reisk. ad tit. h. or. — 9) Wolfius ad Lept. LXXIV hanc or. ex aliis Demosthenis, maxime Olynth. III et Aristocr., ab aliquo declamatore consutis pannis confectam esse dicit; cf. Boeckh. l. c. I, 70. 220. 238; Weisk. de hyperb. I, p. 16; Rüdiger. l. c. p. 7 al. — 10) Nostrum, quum eo tempore Athenis non viveret, sed exul in Aegina al., hanc orationem habuisse haud arbitramur.

XXI. 1) Non omnes, quas *scripsit* orationes Demosthenes, etiam *ipse* in suggestum attulit, sed *ii* plerumque, *quibus* scriptae fuerunt. —

2) *Midias* homo dives et luxuriosus, facundia excellens, multis jam functus honoribus, tum forte, teste

ter impensas maximas[3]) renuentibus, ludorum curatorem (χορηγὸν)[4]) se ipse designavisset, Midias, Oratori jam diu infensus, publice Dionysiis*) manus ei attulit et pugnis eum conscidit. Demosthenes igitur Midiam accusavit, quod crimine turpi deum ipsum (Bacchum) laesisset[5]).

b. De legibus latis.

18 (13). Oratio adversus Leptinem (ὁ πρὸς Λεπτίνην λόγος). Leptines Atheniensis legem[6]) tulerat, ut, quas immunitates honoris caussa adhuc bene meritis civibus concedi usitatum esset, eae pariter omnibus, qui eas accepissent, adimerentur et plane tollerentur in reliquum tempus. Bathippus quidam, eoque, antequam caussa in judicium deducta esset, mortuo, Aphepsio et Ctesippus hujus legis abrogationem com-

---

Ulpiano, militiae equestris curam habuit. — 3) Tantae fuerunt, quae saepe privatorum facultates exhaurirent. — 4) χορηγός apud alias quidem gentes is fuit, qui choream duxit; apud Athh. autem id nomen sumebatur potius de eo, qui sumtum praebebat choris instruendis et adornandis. Wolf. in Lept. 89. — *) Dionysia Athenis *quatuor* quotannis celebrabantur: parva s. ruralia, mense Posideone; Lenaea Gamelione; Anthesteria Anthesterione; magna s. urbana Elaphebolione. Buttm. Exc. 1 in Mid. p. 119 sq. Boeckh. Oec. II, 170 al. — 5) Chori agendi in omnibus oraculis praecipiebantur; erant igitur res sacra, et illis quoque sanctimonia inerat, qui choris praeerant. Midia autem, quia Dem. χορηγός a tribu electus non erat, hanc caussam publ., vexatoque Dem. *privato* Dionysum (Bacchum) laesum esse *negante*, Noster, acceptis MMM drachmis injuriam istam cum eo transegisse dicitur. Plut. Dem. c. 12. Critici fere omnes hanc orationem Nostrum nunquam perorasse dicunt (v. App. crit. etc. ad Dem. T. III, p. 300 ss.) quod Boeckhius (oec. pol. Athh. II, p. 109 n. et diss. de hac or. in actis acad. Berol. 1818) negat. — 6) Wolf. in Lept. LXV. —

moverunt, et Ctesippus, Chabriae imperatoris filius, Demosthenem συνήγορον elegit, qui ipse hanc orationem habuit immunitatemque (ἀτέλεια) defendit[7]). Teste Dione Chrysostomo[8]) caussam vicit Leptinisque lex sublata est.

19 (14). Oratio in Androtionem (ὁ κατὰ Ἀνδροτίωνος λόγος), quam Diodoro Atheniensi Demosthenes scripsit. Novo senatu Dvirali suffecto Androtion[9]) legem tulit ad populum de corona senatui priori tribuenda. Cum vero lex antiqua vetaret, ne senatui corona tribueretur, nisi certum novarum triremium numerum aedificandum curasset, quod senatus ille (Ol. CVI, 1) neglexerat, Euctemon et Diodorus[10]) adversus Androtionis legem locuti sunt.

20 (15). Oratio in Timocratem (ὁ κατὰ Τιμοκράτους λόγος). Timocrates legem tulerat in favorem Androtionis, Melanopi et Glauciae[11]), qui pecuniam e divenditis subducti[12]) navigii

---

7) Turpe esse, dicit, fidem violare, praesertim publice datam, remp. immunitatibus sublatis nihilo fieri opulentiorem; legem Leptineam oppositam esse legibus duabus Solonis etc. — Ἀτέλεια, s. immunitas, fuit vacatio munerum quorundam, privato sumtu praebendorum, populiscito vel lege data iis, qui nimium eo onere premi aut beneficii in populum collati pretium meruisse viderentur. Cf. Wolf. prolegg. in Lept. — 8) In Rhod. Or. XXXI, T. I, p. 635 R. Maxime etiam excellit haec or. inter alias ejusdem classis. —

9) Orator eloquentia et calliditate insignis, auditor Isocratis; v. Aristot. Rhetor. III, 4, 4., or. c. Andr. p. 594. — 10) Androtioni, a quo ante innocens parricidii accusatus fuerat, et quem improbum oratorisque nomine ac munere indignissimum appellat, inimicissimus; l. c. p. 593. — 11) Legati ad Molossum, Cariae regem, missi fuerant. — 12) V. Alberti

Aegyptii mercibus (IX tal., 30 min.) retinuerant. Euctemon igitur et Diodorus, quorum hic Demosthenis auxilio utebatur, legem illam injustam esse et noxiam docuerunt, Ol. CVI, 4.

21 (16). Oratio in Aristocratem (ὁ κατὰ Ἀριστοκράτους λόγος). Cersobleptes[13]), Thraciae rex, Charidemi Oritae[14]), soceri, consilio usus, Atheniensibus Chersonesum reddiderat. Quare hi Charidemum civitate et corona aurea donarunt. Qui vero quum metueret, ne Macedones et Thraces insidias ipsi struerent, Aristocrates Atheniensis rogationem tulit: Quicunque Charidemum interfecerit, eum apud omnes gentes, quae foedere et amicitia cum populo Ath. conjunctae forent, injecta manu in jus ducendum et indemnatum gravissimo supplicio afficiendum esse. Euthycles hanc orationem, scribente Demosthene, contra Aristocratis legem Ol. CVII, 1 habuit[15]).

22 (17). Oratio pro Ctesiphonte de corona (ὑπὲρ Κτησιφῶντος περὶ τοῦ στεφάνου). Munere curatoris murorum reficiendorum Ol. CX, 1, itemque pecuniarum theatralium, maximo suo ipsius incommodo[16]) Demosthenes functus erat. Ctesiphon igitur, Oratoris amicus, hanc Nostri bene de rep. meriti continentiam ac liberalitatem corona aurea ornandam esse censuit. Quae rogatio, a senatu probata, ab Aeschine[17])

---

ad Hesych. s. v. κατάγειν. — 13) De conatibus ejus cf. Voemelii lineamenta belli Amphipolitani; Francof. 1826, p. 30 s. — 14) V. Rumpfii diss. de Charidemo Orita. Giess. 1815. — 15) Rogationem illam perniciosam legibus repugnare demonstrat simulque Charidemum, Atheniensibus antea hostem, tali lege ornandum non esse docet.

16) Tria talenta reip. donarat. — 17) cfr. capp.

oratore impugnata est[18]). Ol. CXII, 3 Aeschines orationem suam contra Ctesiphontem, quae adhuc in manibus est, habuit, eodemque anno Demosthenes amicum et sese ipsum, cujus vitam et publicam et privatam Aeschines gravissimis contumeliis laeserat, hac ipsa de corona oratione celeberrima defendit. Caussam vicit et Aeschines cessit Athenis[19]).

c. De legibus neglectis.

23. 24. Orationes in Aristogitonem I et II (*κατὰ Ἀριστογείτονος λόγος ά καὶ β΄*). *Τῷ δημοσίῳ* debere convicto in suggestum prodire et coram populo dicere non licuit. Aristogito vero, rhetor Ath., Demosthenis in rep. administranda adversarius, hanc legem neglexerat. Quare Lycurgus et Demosthenes eum accusarunt, quorum illius quidem oratio deperdita est, hujus vero duae adhuc in manibus esse dicuntur[20]).

X., XIV, et h. c. nr. 29. — 18) Legibus repugnare rogationem Ctesiphontis dixit, qui Demostheni adhuc magistratum gerenti, priusquam rationem retulisset, coronam decerneret, quare Ctesiphon mulcta L tall. mulctandus esset. — 19) Toto fere decennio multae dissensiones inter Aeschinem et Demosthenem fuerant. Ille Macedonum regibus addictus suasit, ut omni modo eorum amicitia retineretur, hic, ut libertatis tuendae caussa civitates se conjungerent Macedonumque crescentem potentiam impedirent. Cum vero Demosthenis consilia infelicia fuissent, Aeschines, occasione illa oblata, aemulum e rep. tollere conatus est, sed spes eum fefellit. Demosthenes vicit egregia hac optimaque oratione, quam merito laudant Dion. Hal. de comp. verbb. T. V, p. 204 R., Longin. c. X, Cic. or. §. 133., Quinctil. inst. or. XI, 1. Cf. Becker. l. c. p. 353 ss., Raumeri vers. h. or. —

20) Longe distare videntur a vi Demosthenica; Demosthenis igitur esse negant Dion. Hal. *π. Δημ. δειν.*

25. Oratio in Theocrinem (κατὰ Θεοκρίνου ἔνδειξις). Hujus orationis actor fuit Epichares, cujus pater[21]), Theocrine sycophanta improbo auctore, X tall. mulctatus, et, hac mulcta stato tempore non soluta, in vincula conjectus erat. Qua re permotus filius Theocrinem accusat. Hic enim, neglectis legibus, publicas adhuc accusationes agitaverat[22]).

26 (18). Oratio contra Nicostratum (πρὸς Νικόστρατον περὶ τῶν Ἀρεθουσίου ἀνδραπόδων). Arethusius, Nicostrati frater, Apollodoro accusatore, reip. debiti talenti damnatus erat. Cum igitur bona ejus reipublicae adjudicata essent, Nicostratus servos quosdam fratris praeter jus et fas detinuit. Actor idem Apollodorus, Pasionis filius[23]).

27 (19). Oratio adversus Eubuliden

---

§. 57, Harpocration, Ulpianus, Suidas, recentiorumque alteram Wolfius (ad Lept. p. CXL) et Boeckh. (oec. pol. T. I, p. 37), utramque Bekkerus. Fuerunt autem Critici, quibus hae orationes perplacerent; cf. Longin. π. ὕψ. §. 27 et Plinius IX, ep. 26. Ceterum habitae esse videntur post Ol. CX, 3, quo anno ad Chaeroneam pugnatum est, cujus proelii mentio fit in orr. — 21) quia rogationem vetustis legibus adversantem tulerat. — 22) Theocrinem propter varia delicta in vincula conjiciendum in suggestum prodire leges vetuerunt. Habita esse videtur or. post Ol. CIX, 1; in spuriis autem numerandam eam esse docent, quae de Demosthene ipso scripta leguntur p. 1332 et 1336. Cf. Boeckh. l. c. T. I, p. 379 al. et Bekker. —

23) Falso haec oratio plerumque orationibus judicialibus de *privatis* civium controversiis adscribitur, cum de *rep.* defraudata agat. Harpocration quidem v. ἀπογραφή spuriam esse dicit, Boeckh. etiam l. c. I, 379. 403; Bekkerus autem pro genuina habet. —

(ἔφεσις πρὸς Εὐβουλίδην). Euxitheus dolis Eubulidis δημάρχου inimici circumventus et factionibus oppressus peregrinitatis damnatus erat. Ad populi autem auctoritatem hac oratione provocavit, et, civem se esse Atheniensem, testimoniis cognatorum aliorumque defendit[24].

28. Oratio in Neaeram (κατὰ Νεαίρας). Actor caussae fuit usque ad p. 1350, 8. Reisk. Theomnestus, inde Apollodorus. Cum Stephano Neaera ἑταίρα ut legitima uxor vixit. Hoc autem leges vetuerunt, quemcunque ita agentem in servitutem redigendum esse statuentes. Genuinam esse hanc or. dubitant critici[25].

d. De legatione.

29 (20). Oratio de male gesta legatione (περὶ τῆς παραπρεσβείας λόγος). Pace cum Philippo ab Atheniensibus confirmata, hi legatos elegerunt, qui et a Philippo jusjurandum sine mora exigerent. Profecti autem per spatium trimestre aberant, et paulo post eorum reditum Phocensium sociorum, quos Philippus oppresserat, clades nuntiatur! Aeschinem igitur, legationis principem, Demosthenes postulavit παραπρεσβείας. Sunt, qui dicant, scriptam tantum fuisse orationem, neque in curia actam; sed Ol. CVIII, 4 perorata esse videtur[26].

---

24) Et hanc orationem supposititiam esse fuerunt, qui contenderent; a Tayloro bene refutati. — 25) Perorata esse videtur haec or. Ol. CVIII, 3. — Reiskius quidem Demosthenis eam esse docet; spuria autem est, et merito, Valckenaerio ad Eran. Philon. p. 160; Boeckh. l. c., et Bekkero. Cf. App. crit. etc. in Dem. T. V, p. 527. —

26) Cf. supr. cap. X. — Cic. or. 31. — App. crit. etc. in Demosth. T. II, p. 396 ss. Taylorus ibi sententiam eorum refutat, qui habitam esse hanc or. negant.

XXIII. B. Orationes judiciales, quae ad privatas civium controversias (δίκαι), ad tutelas, hereditates, mercaturas, nominum exactiones, damna resarcienda, sumtus reddendos, vadimonia promissa, dicta testimonia, antidosin et trierarchiam pertinent.

a. Orationes, quae ad tutelas pertinent.

30 (21); 31 (22); 32 (23). Orationes in Aphobum I., II. et III. (κατὰ Ἀφόβου λόγοι ἐπιτροπικοὶ α΄, β΄, γ΄)[1]). Hereditatem Demosthenis, quae decennio rite administrata potuerat duplo fere augeri, interverterant tutores, neque de tantis opibus reddiderant, nisi unum tal. cum X minis, ipsi vero ex officinis et nummis, Demostheni a patre relictis, quaestum permagnum fecerant. Decem talenta sibi ab Aphobo reddenda esse Orator docet, quam mulctam aequo animo ferre posset, quum non de suis, sed de Nostri facultatibus eam lueret. Aphobus quum Demosthenis orationem primam refutare conatus esset, Noster alteram dixit, qua perorata judices reum X tall. mulctarunt[2]). Nunc filius ejus Stephanum falsum dixisse testimonium et Demosthenem Milyam, quem reus ad tormenta poposcisset, recusasse contendit, quod liber esset. Noster igitur or. III. et Stephani testimonium defendit, et Aphobum ipsum antea Myliam esse

---

XXIII. 1) Isaeum, Demosthenis praeceptorem, has orationes scripsisse, certe *expolivisse* inter veteres multi fuerunt, qui traderent; cf. Liban. p. 3, 10 ss., 875, 3 ss. Plut. Dem. 849. —

2) Sed ne condemnatus quidem reddere voluit ablata.

liberum fassum esse, post vero negasse, testimoniis probat[3]).

33. 34. Orationes in Onetorem I et II (κατὰ Ὀνήτορος α΄ καὶ β΄)[4]). Aphobus maritus fuit sororis Onetoris, qui bona illius sororis suae esse propter dotem Aphobo datam dixerat. Demosthenes autem, Aphobum neque statim a nuptiis, neque postmodum dotem accepisse demonstrat. Quae contradixerat Onetor, altera oratione auctor ejus refutat[5]).

35 (24). Pro Phormione, exceptio[6]) (παραγραφὴ ὑπὲρ Φορμίωνος). Phormio tutor fuerat Pasiclis, Pasionis f., Atheniensis. Pasiclis autem frater, Apollodorus, Phormionem nummorum suppressorum accusavit. Arbitri condemnatus arbitrio 5000 drachmas Apollodoro restituit Phormio. Nihilominus vero Apollodorus illum paulo post iterum in judicium vocavit; at Demosthenes reum hac optima oratione defendit, redditis illis 5000 dr. transacta esse omnia[7]) demonstrans.

---

3) A Demosthene traditum ad tormenta Aph. accipere noluit quemquam suorum reliquorum, quamvis hi servi melius omnia nossent, quam Milyas. — 4) In spuriis eas recte ponere videtur Boeckhius l. c. — 5) cf. Plut. Dem. I, p. 848 C.

6) De *exceptionibus* (λόγοι παραγραφικοὶ) s. constitutionibus translativis Cic. de inv. I, p. 8: Cum caussa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet, translativa dicitur constitutio, quia actio translationis et commutationis indigere videtur etc. —

7) Plut. Dem. c. 15 init. *Λέγεται δὲ καὶ*, inquit, *τὸν κατὰ Τιμοθέου τοῦ στρατηγοῦ λόγον, ᾧ χρη-*

36 (25). Adversus Nausimachum et Xenopithen, exceptio (παραγραφὴ πρὸς Ναυσίμαχον καὶ Ξενοπείθην). Nausimachi et Xenopithis, Nausicratis filiorum, tutor fuerat Aristaechmus. Suae ipsorum tutelae facti hereditatis imminutae eum accusarunt, quare Aristaechmus tria illis reddidit talenta. Mortuo autem tutore Nausimachus et Xenopithes a relictis ejus quatuor filiis, viginti jam annis praeterlapsis, denuo octodecim talenta repetebant. Demosthenes hac eos oratione, quam ipse habuisse videtur, bene defendit[8]).

6. Orationes, quae ad hereditates pertinent.

37 (26). Oratio adversus Macartatum (πρὸς Μακαρτάτον ὑπὲρ 'Αγνίου κλήρου λόγος)[9]). De Hagniae successione litem habuit contra Ma-

---

σάμενος 'Απολλόδωρος εἶλε τὸν ἄνδρα τοῦ ὀφλήματος, Δημοσθένης γράψαι τῷ 'Απολλοδώρῳ, καθάπερ καὶ τοὺς πρὸς Φορμίωνα καὶ Στέφανον, ἐφ' οἷς εἰκότως ἠδόξησε. Καὶ γὰρ Φορμίων ἠγωνίζετο λόγῳ Δημοσθένους πρὸς τὸν 'Απολλόδωρον, ἀτεχνῶς, καθάπερ ἐξ ἑνὸς μαχαιροπωλίου, τὰ κατ' ἀλλήλων ἐγχειρίδια πωλοῦντος αὐτοῦ τοῖς ἀντιδίκοις. *Noster igitur* ex eadem officina pugiones adversariis porrexisse, *in eadem caussa et accusator et defensor fuisse* traditur! Extat adhuc refutatio hujus παραγραφῆς: or. c. Stephanum ψευδομαρτυρίων. Adversariis autem Demosthenis, Aeschine et Dinarcho, probri nihil ejusmodi jacientibus, illae fortasse c. Steph. orationes duae pro spuriis habendae sunt. V. Schaeferi not. in App. crit. etc. in Demosth. ad p. 1256 tit. or. Con. —

8) Eodem fere argumento utitur, quo in orat. pro Phormione. —

9) Difficilis est intellectu haec oratio. —

certatum Eubulides. Qui, ἀνεψιοῦ παῖς, cum jure in hanc hereditatem vacuatam et controversam accederet, et a lege in legitimis heredibus numeraretur, caussam vicit. Peroravit hanc orationem Sositheus[10]), Sosiae filius.

38 (27). Oratio adversus Leocharem (πρὸς Λεωχάρην περὶ τοῦ κλήρου λόγος). Quam Leochares, Leostrati filius, petiit Archiadae hereditatem, eandem et Aristodemus, Aristotelis filius, quem solum et verum heredem Archiadae bonorum esse haec a Demosthene scripta oratio demonstrat.

39 (28). Oratio adv. Spudiam (πρὸς Σπουδίαν ὑπὲρ προικὸς λόγος). Spudias et actor Polyeucti filias in matrimonium duxerant, quibus singulis pater dotem XL minarum pollicitus erat. Actoris autem uxor, quum Polyeuctus moreretur, triginta tantum minas acceperat, quare pater testamento testatus erat, a se actori X minas deberi earumque caussa illi domum esse oppigneratam. Spudiam igitur, Polyeucto mortuo, se totius hereditatis ex dimidia parte heredem, nec domum actoris esse clamantem, hac oratione refutat.

40 (29). Oratio adv. Boeotum de dote materna (πρὸς Βοιωτὸν ὑπὲρ προικὸς μητρῴας λόγος). Mantiae ex conjuge legitima Mantitheus et ex amica Plangone Boeotus cum Pamphilo nati erant, quos adoptavit. Patre mortuo hi C minas[11]) expostularunt; Mantitheus autem has recusans, cum ventum esset ad arbitros, caussam obtinuit. In jus igitur eum illi vocarunt, sed hac Demosthenis oratione defensus est.

---

10) Qui, pater, pro filio Eubulide caussam egit. —
11) Dotem maternam.

c. Orationes, quae ad mercaturas, nominum exactiones, damna resarcienda sumtusque reddendos pertinent.

41 (30). Oratio adversus Callippum, (πρὸς Κάλλιππον λόγος). Actor Apollodorus, Pasionis f. — Callippus, nobilis Atheniensis, pecuniam sibi denegatam et Cephisiadae[12]) a Pasione traditam, ab Apollodoro, quem Demosthenes hac oratione defendit, petierat.

42 (31). Oratio adversus Timotheum (πρὸς Τιμόθεον ὑπὲρ χρέους). Timotheus, Cononis filius, Atheniensis, egregius belli dux, a Pasione argentario pecunias se mutuas accepisse negaverat. Apollodorus, Pasionis f., igitur eum hac oratione accusavit[13]).

43 (32). Adversus Zenothemin, exceptio (πρὸς Ζηνόθεμιν λόγος παραγραφικός). Conscripta est haec or. nomine Demonis, qui patruus erat Demosthenis (p. 890, 27). Hic mutuo dederat pecuniam Proto cuidam, qui cum Zenothemide, homine callido et improbo, Demonem ea fraudare conatus erat.

44 (33). Oratio adversus Phormionis exceptionem (πρὸς τὴν Φορμίωνος παραγραφήν). Phormioni[14]) Chrysippus XX minas elocaverat, reddendas cum fenore, si navis ejus et

12) cui a Lycone Heracleota legata fuerat.

13) Egregiis criticis spuria videtur haec or., e. gr. Bekker., Boeckh. oec. pol. Ath. I, p. 246. 317, Schaefer, App. crit. etc. V, p. 264. Sed bene Nostro eam vindicavit Rumpfius in diss. de or. adv. Timoth. imperatorem etc. Giess. 1821. Cf. quae de hac diss. A. G. Becker. in Seebodii mei bibl. crit. nova 1825, p. 528 ss. scripsit.

14) Phormio hic diversus est illi, cui scripta or. 35. App. crit. etc. in Dem. T. IV, p. 590. —

Athenis in Pontum et retro a Ponto Athenas incolumis cursum confecisset. Phormio autem cum Lampide, navis praefecto, pecunia illa Chrysippum fraudare voluit.

45 (34). Oratio adversus Lacriti exceptionem (πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν). Lacriti, oratoris callidi[15]), Isocratis discipuli, frater Artemon Phaselita[16]) ab Androcle XXX minas mutuatus erat, quas, Artemone mortuo, ab ejusdem fratre et herede, qui omnia possedit ab Artemone relicta, Androcles petiit. Hujus Androclis Sphettii et Nausicratis Carystii nomine oratio scripta est.

46 (35). Adversus Pantaenetum exceptio (πρὸς τὸν Πανταίνετον παραγράφικος λόγος). Scripta est oratio nomine Nicobuli, quem Pantaenetus in judicium vocaverat, quamvis reo litem jam antea remisisset.

47 (36). Oratio adversus Olympiodorum (κατὰ Ὀλυμπιοδώρου, βλάβης λόγος). Callistratus et Olympiodorus, Conone mortuo, constituerant, ut bona ejus, ad judices re non delata, pariter inter se partirentur. Post autem Olympiodorus totam hereditatem sibi vindicaverat, quare a Callistrato, Demosthene scribente, in judicium vocatus est.

48 (37). Oratio in Dionysodorum (κατὰ Διονυσοδώρου βλάβης λ.). Darius et Pamphilus Dionysodoro ejusque socio Parmenisco MMM drachmas mutuas dederant. Hi Alexandriam navigarunt, frumentum ibi emturi, se pecuniam

---

15) cf. Plut. Dem. T. I, p. 859 B.

16) Phaselis, Pamphyliae urbs, de cujus incolarum corruptis moribus v. Pauw. quaestt. philos. de Graecis, II, p. 29., Becker. Dem. p. 428.

cum fenore statim post reditum reddituros esse polliciti. Nunc autem quum creditores fenore fraudare eis in animo esset, sibi solam usuram itineris Rhodum usque solvendam, alteram usurae partem, quae fuisset Rhodo Athenas solvenda, remittendam esse dixerunt. Quod actor negavit.

49 (38). Oratio adversus Calliclem (πρὸς Καλλικλέα περὶ χωρίου λ.). Callicles ejusque socii actorem in jus vocaverant propterea quod canales egerendae aquae pluviae etc. corrupisset, quare praedia sua magnum detrimentum caperent, cum aqua, aedificiis vel moenibus oppositis exclusa, in fundos suos immitteretur. Orator autem dolos et fraudem eorum demonstrat.

50 (39). Oratio adversus Polyclem (πρὸς Πολυκλέα περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος λ.). Apollodorus, Pasionis filius nummularii, trierarchus[17]) ad Thraciae oras navigaverat. Duodecim mensibus praeterlapsis, ut fas erat, a munere trierarchico decedere voluit, sed Polycles, successor

17) F. A. Wolf. in Lept. C ss.: Sequitur trierarchia, onus olim molestius et sumtuosius ceteris. Saepe autem variatum est in parte impensarum, quam trierarchi ferre debebant. Primo tempore (p. CXVI) vidimus triremes publ. sumtu aedificatas, illos nihil addidisse de suo praeter πληρώματα et σκεύη. Tum vero illorum quisque fere navem praefectus conscendebat et militiam ipse sequebatur. Posthac quando duo vel tres ad unius navis societatem coibant, sumtum inter se ita partiebantur, ut nihil resp. erogasse videatur. Mox mille ducenti successere, ex quo societas quaeque solam navem praebebat aedificatam, publice addebantur armamenta, nautae et σκεύη τριηραρχικά, quas res, exacto munere, quisque vel ei, qui successurus erat, vel reip. reddere debebat. — In morem etiam venerat locatio trierarchiae, et in annum talento fere ea locabatur.

ei destinatus serius venit, et, cum venisset, trierarchatum adire noluit, syntrierarchum sibi exspectandum esse dicens. Hanc ob caussam res suas Athenis Apollodorus negligere coactus multa amisit et a Polycle detrimentum hac re captum petiit ut restitueret.

51 (40). Oratio adversus Boeotum de nomine (*πρὸς Βοιώτον περὶ τοῦ ὀνόματος λ.*). Mantitheus actor, Boeotus reus[18]). Boeotus et sibi Mantithei nomen imposuerat; Mantitheus autem, Boeotum hoc nomine abuti et decipere, actorique officere posse docet, Ol. CVII, 2 aut 3.

52 (41). Oratio in Cononem (*κατὰ Κόνωνος αἰκίας λ.*). Actor hujus caussae est Aristo, qui a Conone ejusque filiis injuriis in publico gravissimis et contumeliis affectus verberibusque inflictus erat, ut semianimem domum portarent. Judices rogat, ut contumeliosum facinus ulciscantur.

d. Oratio, quae ad vadimonium promissum pertinet.

53 (42). Adversus Apaturium, exceptio (*πρὸς Ἀπατούριον παραγρ.*). Reum a Parmenone vadem sibi datum esse, Apaturius contendit, quare eum, Parmenone, qui in Chersonesum profectus erat, absente, ut officio satisfaceret, hortatur. Qui vero a se vadimonium promissum esse negavit.

e. Orationes de dictis testimoniis.

54. 55. Orationes in Stephanum I et II (*κατὰ Στεφάνου ψευδομαρτυρίων α΄ καὶ β΄.*). Stephani[19])

---

18) v. supr. or. 40 (29).

19) Stephanum hunc alium esse videri ab eo, qui in or. 28. exagitaretur, Wolf. dicit App. crit. etc. V, p. 167. —

testimonio Phormio[20]) caussam vicerat, Apollodorus autem testimonium eum falsum dixisse, patrisque testamentum suppositum esse docet. In altera or. plura adhuc et graviora argumenta affert. — In spuriis has orr. posui[21]).

56. Oratio in Euergum et Mnesibulum (κατὰ Ἐυέργου καὶ Μνησιβούλου ψευδομαρτυρίων λ.). Actor, cujus nomen latet, Theophane judices mendaciis circumveniente, condemnatus erat; praesertim propter testimonium ab Euergo et Mnesibulo dictum, quod falsum esse demonstrat[22]).

f. Oratio de antidosi.

57. Adversus Phaenippum (πρὸς Φαίνιππον περὶ ἀντιδόσεως λ.). Actor ad trierarchiam designatus petiit a Phaenippo, ut facultates secum permutaret. Sed Phaenippi fraude circumventus in jus eum vocaverat.[23]).

---

20) Demosthene sribente; v. or. 35 (24). —

21) Cum Phormio oratione Demosthenica (35.) caussam obtinuisset, oratione, inquam, quae οὕτω διέθηκε τοὺς δικαστάς, ὥστε φωνὴν μηδ᾽ ἡντινοῦν ἐθέλειν ἀκούειν Ἀπολλοδώρου, adduci non possum, ut existimem, eundem Nostrum etiam Apollodoro has *contra* Phormionem in *eadem* caussa habitas orationes scripsisse. Hoc enim tam foedum fuisset et detestabile factum, quod apud *bonos* cives, *qui Nostrum tanti semper fecerunt*, contemtionem ei afferre *debuisset*. Cf. etiam Schaefer. App. crit. etc. V, 367. Alio loco latius de hac re exponere mihi est in animo. —

22) Suspecta, ob molestas repetitiones genusque orationis Demosthene indignum, esse videtur haec or. V. App. crit. V. 162,

23) Spuria est haec or. Boeckhio et Bekkero. — De antidosi conf. F. A. Wolf. in Lept. CXXIII s.: Ne quis excusatione tenuitatis onus suum defugere posset, neve id accideret, ut, qui cuipiam ex tribulibus negotium facessere eumque ad paupertatem redigere vellet, minus opulentum suffragio suo ad chor-

summa vi dicendi summisque virtutibus oratoriis insignes[4]), quas Athenienses ipsi[5]) reliquorum omnium vel clarissimorum orationibus longe praecellere judicarunt.

ed. inchoata a Morelio, redintegr. a Dion. Lambino. Par. 1570. Fol. — ed. Hier. Wolfii nova. 1572. *Fol.* — ed. Francofurt. 1604 Fol. — ed. Aureliae Allobr. 1607 Fol. — ed. Taylori. Cantabrig. T. III. 1749; T. II. 1757. 4. — ed. Reiskii. Lips. 1770 ss. 8. — Auger. Paris. 1790 (T. I). 4. — ed. N. Ducae. Vienn. 1812. — ed. Schaeferi. Lips. (Tauchn.) 1812 s. — ed. Lips. (Weigel.) 1821 s. — ed. Reisk. 2da, cur. Schaefer. Lond. 1822 ss. — ed. Imm. Bekkeri. Berol. 1823 s. — ed. Dindorf. Lips. (Teubn.) 1825. — 6. *nonnull.* v. *sing.* orr. edd. recentiores: Orr. philipp. et olynth. Glasg. 1750. 8. — Philipp. Eblanae. 1754. — de rep. c. notis Lucchesin. ed. G. Allen. Lond. 1755. 8. — Phil. ed. Stock. Ebl. 1774. — Philipp., ed. Gail. Paris. 1788. 12. — in Leptin., ed. F. A. Wolf. Hal. 1789. 8. — de pace, ed. C. D. Beck. Lips. 1799. 8. — Phil. I. Magdeb. 1810. 8. — de corona, ed. G. Chr. Harless. Lips. 1814. (ed. 3a.). — de pace, Phil. I et Olynthh. très, ed. Rüdiger. Lips. 1818. — c. Midiam, cur. Buttmann. Berol. 1823. — Philipp., ed. Imm. Bekker. Berol. 1825. — de cor., ed. id. ib. 1825 — de cor., ed. Wunderlich. 3a. Gotting. 1826. — c. Midiam, ed. Blume. Sundiae. 1828. — select., ed. Bremi, Goth. 1828. — Philipp. V, ed. Voemel. Francof. 1829. — 2. *Interpretationes.* a. *latt.*: Hier. Wolfii. Basil. Fol. — Phil. I, Ol. I-III, de cor. ed. Ph. Melanthon. Viteb. 1562. 8. — Orr. de rep. a Vinc. Lucchesinio. Romae. 1712. 4. etc. — b. *vernacc.*: J. J. Reiskii. Lemg. 1764 ss. 8. — de. cor. ed. Seiler. Cob. 1768. — orr. deliberatt. ed. Jacobs. Lips 1805. — Phil. I. Hamb. 1806. — ead. Magdeb. 1809. — de cor. auct. Raumer. Berol. 1811. — orr. Phil. ed. A. G. Becker. 2da. Hal. 1824. 1826. —

4) v. supra cap. XVIII.

5) Cic. Orat. §. 8: Atheniensium semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent nisi incorruptum audire et elegans.

